F. JOSEPHI-ARCHANGELI
A FRACTA MAJORI
ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM
SACRÆ THEOLOGIÆ
SYNOPSIS
AD USUM
CLERICORUM ORDINANDORUM
IN HAC SECUNDA EDITIONE

Diligentius recognita, multisque additionibus aucta, atque illustrata, ita ut non amplius SYNOPSIS dici debeat, sed

SACRAE THEOLOGIAE
DOGMATICO=SCHOLASTICÆ
CURSUS

Plana facilique Methodo concinnatus, ad usum Scholarum, omniumque Studentium commodum

TOMUS V.
CONTINENS TRACTATUS

I. DE ACTIBUS HUMANIS, ET LEGIBUS.
II. DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

NEAPOLI MDCCCXXXI.
Ex Typographia Jo: Rusconi
Via S. Annae Lombardorum N.° 37.

Superiorum facultate.

[illegible]

TRACTATUS I.

De Actibus humanis, et Legibus.

Ad æternam illam felicitatem assequendam, quam Christus Dominus, sua Incarnatione nobis comparavit, præter Fidem Divinam, bona opera esse necessaria, nemo Catholicorum ignorat, cum id ex Sacris Literis, Conciliorum, atque omnium sæculorum Patrum testimonio clarissime comprobetur. Illud vero omnino necesse est dignoscatur, quæ mala opera sint, quæ bona; quibusque regulis actus nostros conformare debeamus, ne in tanto negotio erremus. Atque id est quod praesenti Tractatu efficere conabimur.

CAPUT I.

De Actibus humanis.

§. 1. *Animad.* Varii actus in homine observantur. Quidam sunt mere naturales, et cum brutis quoque communes; iique vel sunt *interni*, uti nutritio, sanguinis circulatio, ciborum digestio, cordis palpitatio etc., vel *externi*, uti deambulatio, manducatio etc. Alii sunt quidem hominis proprii, unde *actus hominis dicuntur*, sed indeliberate, et absque rationis advertentia fiunt; tales sunt subiti quidam motus iracundiæ, amoris, odii, etc., sicuti etiam nonnulli gestus, qui a nobis fiunt quandoque, quin de illis cogitemus; quique vulgo actus *primo primi*, a Theologis Moralibus appellari solent. Alii tandem ita sunt hominis proprii, ut nonnisi ab eo fieri possunt. Procedunt namque ab homine, prout est animal ra-

tione, et libertate præditum, et *causantur*, ait Doctor subtilis (IV. Sent. Dist VI.): *per intellectum, et voluntatem ab homine*; suntque iidem ac actus morales, quia moralitatis capaces, bonitatis videlicet, vel malitiæ; præmii, vel pœnæ, licet aliquando actualem malitiam, vel bonitatem non habeant, uti sunt actus puerorum, qui libere quidem eliciuntur, sed ante cognitionem boni, vel mali moralis, tales quoque dici possunt actus, qui vocantur indifferentes, ut infra. Atque de his tantum actibus, qui ab homine, ut homo est, procedunt, hic verba facimus.

§. 2. *Schol.* Porro hos actus in homine dari, prorsus indubium est. Illud quod in Scholis disputatur, est: An actus isti possint esse indifferentes; hoc est nec boni, nec mali in genere moris, non solum in specie, quod ultro conceditur, sed etiam in individuo. Adfirmant Scotistae cum Præceptore subtili, S. Bonaventura, et aliis; negant Thomistae cum aliis multis. Quibus autem rationibus illi, quibus isti suum assertum constabilire nitantur, mox patebit. Interim sit

PROPOSITIO I.

Actus humanus est ille, qui a libera, et deliberata humana voluntate procedit.

§. 3. Prob. Homo est animal rationale, liberum, intellectu, et voluntate præditum; cum ergo agit ut homo, agere debet ut rationalis, ac libere; adeoque actus sui, non solum debent esse cum advertentia rationis, hoc est procedere a voluntate deliberata, sed etiam a voluntate libera; Ergo etc. Deinde actus humanus pro eodem sumitur ac actus moralis (§. 1.); ut ergo sit præmio, vel supplicio dignus, debet esse in eo advertentia rationis, et liber voluntatis consensus; adeoque actus humanus, etc.

PROPOSITIO II.

Probabile est dari actus humanos indifferentes in individuo.

§. 4. Prob. 1. Actus humani indifferentes illi dicuntur, qui nec boni, nec mali sunt, in genere moris, proindeque nec præmio, nec supplicio digni; Atqui multi dantur in homine actus hujusmodi; Ergo etc. Prob. min. Deliberate spuere, festucam a terra levare, sellam de uno in alium locum transferre, et cæteræ hujus generis, actiones certe sunt, quae nec laudem merentur, nec pœnam. Quis enim cogitavit unquam se peccasse, quia praedictos actus ad Dei gloriam non direxerit? Aut quis de praedictis ad pedes confessarii se accusavit, et Confessarius eum peccasse pronuntiavit? Ergo etc. Deinde si non darentur actus indifferentes in individuo, quaelibet humana actio deliberata, esset vel bona, si ob finem honestum facta, vel mala si ob finem pravum, nec medium esset; vera proinde esset, et Catholica hæc propositio: *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel Mundi; si Dei, charitas Patris est: si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est;* Jam vero haec propositio ab Alexandro VIII. (1) proscripta fuit; Ergo etc. Tandem lex Domini est *jugum suave* (Matt. Cap. XI. 30.): *Et mandata ejus gravia non sunt* (Joann. Epist. I. Cap. V. v. 3.); Atqui dura nimis divina lex esset, et ad desperationem adigeret, si omnes et singulas actiones, ex ejus præscripto semper tenenemur ad finem honestum dirigere, et ob finem honestum facere, ita ut peccaretur si non fieret ita; Ergo etc.

§. 5. Prob. 2. auctoritate. S. Hieronymi qui ad

---

(1) In Congreg. Generali 7. Decemb. 1690.

S. Augustinum scribens, ait (Epist. XV.): « Bona est
» continentia, malum luxuria, inter utrumque indiffe-
» rens est ambulare (*scilicet nec bonum, nec malum*),
» manibus capitis purgamenta projicere etc., hoc nec
» bonum nec malum est. Sive enim feceris, sive non
» feceris; nec justitiam habebis, nec injustitiam
» (*hoc est neque præmium, neque supplicium*). S.
Gregorius Nazianzenus (Orat. III. contra Julian.):
» Quemadmodum, ait, quisquis supplicio haud di-
» gnus est, non idem statim prædicationem (*hoc est
» laudem*) meretur, eodem modo, nec qui laude,
» aut praedicatione dignus non est; idem confestim
» poenam meretur »; Dantur ergo actus humani,
qui nec laudem, nec pœnam merentur; quique proinde
neque boni, neque mali sunt in genere moris; uno
verbo, sunt indifferentes. Tandem S. Gregorius Papa
(Hom. VII. in Evangel.) verba faciens de proximi
dilectione, quae procedit ex solo affectu cognationis,
et carnis, negat quidem eam esse actum virtutis, affirmat tamen, eam malam non esse; Si ergo talis dilectio neque virtuosa est, et præmio digna, neque
mala, et subdita pœnæ; profecto indifferens; Adeoque etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§ 6. *Objic.* 1. Homo deliberate agens, agere debet propter finem honestum; alias peccaret; Ergo
non dantur actus indifferentes in indiuiduo; quia aut
referuntur ad finem honestum, et sunt boni, aut non,
et sunt mali.

§. 7. R. dist. ans. Homo etc., propter finem
honestum sive positive, sive negative, conc. ans; positive tantum, n. ans; Ergo etc. n. consm. Homo
deliberate agens, utique propter finem agit, at finis
iste non semper est positive honestas virtutis, sed est
vel naturalis delectatio, vel libertas circa objecta in-

differentia: quae utique neque bona moraliter est, nec mala. Fac quaeso quis audiens concentum musicum, sistat paulisper ad audiendum, peccat ne iste talis, aut est præmio dignus, ob hoc praecise, quia concentum musicum audivit, et in illius suavitate delectatus est? Haud certe, nisi adsit aliqua circumstantia, quae concentum illum aut moraliter bonum, quia ad impudicum amorem excitandum, declaret. Igitur illa concentus musici auditio fuit indifferens.

§. 8. *Contra*. Atqui homo deliberate agens, agere debet propter finem honestum, virtuosum, et positive; Ergo n. r. Prob. subs. Aapostolus ad Corinthios scribens, ait (Epist. I. Cap. X. v. 31.): *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis; Omnia in gloriam Dei facite*; Ergo etc.

§. 9. R. Laudata Pauli verba praeceptum non important, sed consilium, alias teneremur sub peccato omnes nostras actiones actu in Dei gloriam referre, quod certum non est. Consulit itaque nos Apostolus, ita agamus, ut in omnibus glorificetur Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi. Quod si præceptum ea importare velimus, ita interpretanda sunt ut jubeat Apostolus, in omnibus actionibus, fideles ita se gerere debere, ut nihil faciant quod gloriae Dei adversetur, aut scandalum aliis praebeat, ex quo Deus vituperari possit (1).

§. 10. *Contra*. Atqui laudata Pauli verba præceptum important, et non consilium, ita ut omnia positive in Dei gloriam facere debeamus, aliter peccamus; Ergo n. r. Prob. sub. Si ita non esset, de verbis otiosis homo non teneretur reddere rationem Deo in die judici; Atqui ex Christi Domini testimonio (Matthæi Cap. XII. v. 36.): *Omne verbum o-*

(1) Vid. Cornel. a Lapide in hunc locum.

tiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii; Ergo etc.

§. 11. R. dist. maj. Si etc., de verbis otiosis, hoc est, quae in seipsis nec bonitatem, nec malitiam moralem continent, conc.; de verbis otiosis, sive perniciosis, et calumniosis, n. maj., et contrad. min., n. consm. De verbis otiosis multiplici ex capite cogi possumus ad rationem reddendam in die judicii; vel nempe quia aliis afferunt displicentiam, qualia sunt quaedam dicta ridicula, et mordacia, quae licet jocandi caussa, quandoque proferantur, aliis displicent, et offensioni sunt; vel quia in iis plus temporis insumitur ac recta ratio suadet; unde et peccatis aperitur via, juxta illud: *in multiloquio non deerit peccatum* (Proverb. Cap. X. v. 19.); vel tandem quia in se vitiosa sunt, et aliis injuriosa, qualia fuerunt illa Pharisaeorum (Matth. Cap. XII. v. 24.): *Hic non ejicit Dæmones, nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum. Otiosum verbum*, ait Chrysostomus (Hom. 43. in Matth.), *est, quia mendax est, quia calumniam habet*. Et de his verbis loquitur citato in loco. Siquidem postquam ostendit calumniosa esse illa verba Pharisaeorum, quod ipse in Beelzebub principe Daemoniorum ejiceret Daemonia, affirmat, quod ipsi, hoc est Pharisaei, cum sint mali, non possunt bona loqui; quippe *ex abundantia cordis os loquitur, et bonus homo de bono thesauro profert bona: et malus homo de malo thesauro profert mala*; et concludit postea: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* (1).

---

(1) Pro exposita Thesi, qui plura cupit, legat Henno Tomo I. Tract. de Actibus hum. Disp. III. q. VI. Dupasquier Tomo IV. Dip. I. q. VI. Poncium Disp. XXII. q. 1. Boyvin P. III. de Actibus humanis pag. 235.

§. 12. *Objio.* 2. Si darentur actus quidam indifferentes in individuo, posset humana voluntas in medio consistere, ut nempe neque bona sit, neque mala moraliter; Atqui hoc, ex doctrina S. Augustini, esse nequit; Ergo falsa propositio.

§. 13. R. dist. maj; in medio consistere ratione actus nec boni, nec mali moraliter, conc:, ratione status gratiae, vel peccati, nego maj:, et contradistincta min., n. consm. Dum S. Augustinus pluribus in locis dicit, hominis voluntatem non posse in medium consistere, hoc solum intelligere vult, nullum esse statum medium pro anima, dum agitur de gratia, et peccato; quippe vel anima est in gratia, et certe tunc non est in peccato; vel est in peccato, et tunc ab ea exulat gratia; gratia enim et peccatam sunt veluti lux, et tenebrae, quae invicem excluduuntur, nec momento simul stare possunt. At non idem dicendum de *hominis* voluntate, quoad actus; potest enim ipsa in medium consistere, quia actus elicere potest, qui nec boni, nec mali sint in genere moris.

§. 14. *Contra.* Atqui nec etiam ratione actus potest homo in medium consistere; Ergo n. r. Prob: subsm. Ille nec etiam ratione actus potest in medium consistere, cui licitum non est in creatura, tanquam ultimo fine quiescere; Atqui homini non licet, in creatura, tanquam in ultimo fine quiescere; Ergo etc.

§. 15. R. dist: maj; Cui licitum etc: negative, n: maj:, positive, conc:, et dist: min., non licet, positive, conc:, negative, n. min:, et consm. Cum Deus sit ultimus finis hominis, nullimode propterea potest quis positive in creatura, quiescere, ita ut creaturam sibi pro fine principali proponat; hoc enim esset Deo valde injuriosum, et homini quammaxime noxium; Nemo enim ignorat « Ab uno » vero Deo, atque optimo, et naturam nobis esse, » qua facti ad eius imaginem sumus; et doctrinam,

» qua eum, nosque noverimus: et gratiam, qua illi
» cohaerendo beati sumus, ait S. Augustinus (Lib.
» VIII, de Civ: Dei Cap. 10.); et ibidem (Lib. XXII.
» Cap: 30.): Ipse finis erit desideriorum nostrorum,
» qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine
» fatigatione laudabitur ». Hoc autem non officit,
quo minus possit homo in creatura negative quiescere,
quia potest non ulterius tendere. Quare merito
damnata fuit ab Alexandro VIII. haec Propositio
(in ord: 7.): *Omnis humana actio deliberata est
Dei dilectio, vel Mundi. Si Dei, Charitas Patris est:
si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.*

§. 16. *Contra.* Atqui nec etiam negative potest
homo in creatura quiescere; Ergo n. r. Prob: subsm.
Tam Deus postulat ut omnes actiones humanae ab
ipso pendeant, tamquam ultimo fine, quam postulet,
ut pendeant ab ipso, tamquam caussa prima efficiente;
Atqui hoc posterius verum est; Ergo etc; Adeoque
etc.

§. 17. R. neg. maj., et paritatem. Ratio disparitatis
est, quia Deus ut prima caussa efficiens, est
caussa essendi simpliciter, seu bonitatis naturalis; At
vero Deus ut finis ultimus moralis, non est caussa
essendi simpliciter, sed bene, et honeste essendi.
Porro bonitas moralis, seu honestas non se extendit
ad omnes actiones sicut bonitas naturalis; et physica
se extendit ad omnes. Quare illud tantum concludi
debet, quod non refertur ad Deum, tamquam ultimum
finem moralem non esse bene, et honeste; at non
statim est male, quia potest esse indifferenter.

Quaeres. *Quid sit voluntarium?*

§. 18. R. Voluntarium est illud quod a principio
intrinseco, voluntate scilicet, procedit cum cognitione
finis: Quae cognitio si est perfecta voluntarium
erit *perfectum*; imperfectum vero si imperfecta.

Quaeres. *Quotuplex sit voluntarium perfectum?*

§. 19. R. Duplex, *necessarium* nempe, et *li-*

berum; Primum est illud, quod a voluntate procedit cum cognitione ad unum aliquod determinata, uti amor Beatorum in Patria. Secundum est illud quod a voluntate procedit cum cognitione indifferenti; hoc est quae repraesentat objectum neque ut summe amabile, neque ut odibile; ita voluntarius est amor cujuscumque objecti particularis in Mundo, necnon Dei ipsius in praesenti vita; et in genere, omnes actus, qui nec laude, nec vituperio digni sunt.

Quaeres. *Quotuplex sit voluntarium liberum?*

§. 20. Duplex; *directum* nempe, et *indirectum*. Primum est illud, quod voluntas positive, et expresse intendit, sive immediate per se, sive per alium mediate. Hoc pacto voluntarium est furtum, quod deliberate quis committit. Secundum vero est illud, quod voluntas, positive quidem non intendit, sed aliquod aliud intendit, ex quo praevidere poterat, et scire illud esse sequuturum; Hoc modo voluntarium appellatur homicidium in ebrietate commissum, si is qui homicidium commisit, praevidere poterat, et debebat, illud in ebrietate sequuturum esse.

Quaeres. *Quid sit involuntarium?*

§. 21. R. Involuntarium est illud, quod vel adversante voluntate, vel praeter voluntatem fit; ita est omne id quod vel vi, vel ignorantia fit. Idque vel est *absolutum*, si illud voluntas absolute aversatur, ac respuit; vel *secundum quid*, ut ajunt, hoc est *mixtum*; si nempe, licet illud voluntas respuat, ob aliquam tamen circumstantiam vult; ita est traditio pecuniae furi volenti occidere, nisi ei pecunia tradatur.

Quæres. *Quid sit vis?*

§. 22. R. 1. *Vis* vulgo dicitur *majoris rei impetus, qui repelli non potest.* Estque vel *absoluta*, et *efficax*, si nullo pacto superari potest; *inefficax* vero sive *secundum quid*, si aliquo modo superari potest.

§. 23. *Coroll.* Vis ergo absoluta tollit voluntati

suam indifferentiam, et libertatem, quae ad voluntarium requiritur. Hinc si quis aliquid per vim absolutam faceret, quod esset alioquin contra legem Dei, non peccaret; Quare si puella cum repugnantia suæ voluntatis, et cum resistentia ex parte virium sui corporis, defloraretur, non peccaret; imo mereretur. Unde S. Lucia Virgo, Paschasio minitanti eam mittere ad lupanar, ut amittendo Virginitatem a Spiritu Sancto desereretur, respondit: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

Quæres. *Quid, et quotuplex sit ignorantia?*

§. 24. R. *Ignorantia est deficientia scientiæ in subjecto ad eam habendam idoneo.* Eaque multiplex est; nempe *vincibilis*, si adhibita morali diligentia vinci potest, ac superari, *invincibilis* vero si nequit superari; *Antecedens*, *concomitans*, *et consequens*, prout nempe, vel antecedit omnem voluntatis determinationem, ita ut ea ablata actio non fieret; vel comitatur actionem; ita ut ea ablata actio etiam fieret; vel consequitur voluntatis determinationem, quatenus agens, cum poterat, noluit scire quod tenebatur scire. Ignorantia *invincibilis* est etiam antecedens, consequens vero vincibilis; et haec iterum dividitur in *crassam*, seu *supinam*, et *affectatam*. Prior est illa, qua quis negligit scire, quae communiter omnes alii homines ejusdem status, et conditionis sciunt; posterior vero est illa, qua quis, data opera, non vult scire quae scire tenetur, ut sic liberius, et absque coscientiae remorsu, agat quod vultu, juxta illud (Psal. 35. v. 4.). *Noluit intelligere ut bene ageret.* Tandem ignorantia alia est *Juris*, alia *facti*, ali *pœnæ*, prout nempe quis vel ignorat legem, vel factum, vel poenam. Ex his porro ignorantiae speciebus, sola ignorantia invicibilis antece-

dens tollit voluntarium; nam ea ablata, non fieret, quod stante ipsa fit (1).

Quaeres. *In quo posita sit malitia moralis?*

§. 25. R. Malitia moralis consistit in disconvenientia actuum humanorum a recta ratione. *Nam omne factum*, ait S. Augustinus (Lib. de utilitat. cred. Cap. XII.) *si recte factum non est, peccatum est. Nec recte factum esse ullo modo potest, quod non a recta ratione proficiscitur?*

Quaeres. *Quid sit moralitas?*

§. 26. R. Moralitas nihil hic est aliud quam actionum humanorum relatio ad regulas morum. Hæ autem rægulae duae sunt, *intrinseca* una, *extrinseca* alia; illa est *conscientia*, haec *lex æterna*.

CAPUT II.

De Conscientia.

§. 27. *Animad.* Conscientiae nomen varie sumitur. Et 1. quidem pro cognitione, quam quis habet de suo statu morali; an scilicet reus sit, an non alicujus peccati. Hoc sensu loquuti sunt fratres Joseph (Gen: v. 3.): *Non est in nostra conscientia quis posuerit pecuniam in marsupiis nostris*; et D. Paulus ad Corinthios (II. Cap: I. v. 12.) scripsit: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostrae*. Et haec insuper si est de male factis, dicitur *remorsus conscientiae*, seu *vermis* (Isaiae Cap: 66.) *Vermis eorum*, scilicet damnatorum, *non morietur*. II. Ac-

---

(1) Plura hic non prosequimur, uti materia praesens exigere videtur; Nam ad Theologos Morales ista fusius tractare spectat, ad quos propterea tyrones nostros remittimus. Hic pauca solum solum delibasse sufficiat.

cipitur pro ipsa voluntate; veluti cum dicit Apostolus (Heb. Cap. IX.), quod Jesu Christi sanguis *emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Atque hoc sensu dicere solemus de aliquo viro probo, quod sit vir *bonae intemeratae, aut strictae, vel scrupolosae conscientiae*, ut significemus, illum talis esse voluntatis, ut non solum peccatum cujusque generis non admittat, sed et ipsam peccati speciem fugiat; sicuti, contra, de viro impio dicimus, quod sit *malae, depravatae*, vel *laxae conscientiae*, significantes, illum cautum non esse in fugiendis peccatis. III. sumitur pro dictamine rationis de facienda aliqua re, vel fugienda; et in hoc sensu Conscientiam nos in praesenti capite usurpamus. Itaque.

§. 28. *Def.* 1. *Conscientia, quasi cordis scientia*, ex S. Bernardo (Lib. de Conscientia Cap. VII.), *est actus intellectus practici, dictantis quid sit licitum, quid illictum; quidve propterea, hic et nunc, agendum sit, vel omittendum.*

§. 29. *Def.* 2. *Syntheresis est habitus intellectus, qui per prima principia generalia, et practica dictat quid bonum sit, quid malum in genere moris.*

§. 30. *Coroll.* In his ergo differt Syntheresis a Conscientia; quod 1. illa est habitus, haec actus; 2. Illa versatur circa principia practica universalia, atque indeterminata, haec applicet illa principia ad determinatam materiam; 3. illa est regula magis remota, et mediata, haec autem magis proxima, et immediata.

§. 31. *Schol.* Quoniam, experientia teste, intellectus humanus non semper quid sit agendum, hic et nunc, vel omittendum eodem modo dictat, sed aliquando certe, et infallibiliter; aliquando false, et erronee; aliquando probabiliter, aliquando dubie, et non raro scrupulose; hinc varia enata est conscientiae divisio; in *rectam* nempe, et *erroneam, in probabilem, dubiam*, et *scrupulosam.*

§. 32. *Def.* 3. *Conscientia recta est actus intellectus practici, dictantis quid sit licitum, quid illicitum, quod revera tale est in se*; veluti: Dei præcepta sunt observanda; sed adest praeceptum Divinum de non furando; Ergo praeceptum hoc, hic et nunc, est observandum.

§. 33. *Schol.* Conscientia haec duplex distinguitur; nempe in *speculative*, et *practice* rectam; et in *practice* solum rectam. Prima habetur quando id quod dictat, non solum tale est ex rationibus, sed etiam a parte rei; secunda vero, quando id quod dictat, solummodo ex rationibus, non vero a parte rei est tale.

§. 34. *Def.* 4. *Conscientia erronea est actus intellectus practici, ex principiis falsis, atque erroneis, dictantis aliquid esse bonum, vel malum, quod tale reipsa non est.* Talis est: opus misericordiae Deo placet; sed furari pro eleemosina facienda est opus misericordiae; Ergo furari pro eleemosina facienda est opus Deo gratum.

§. 35. *Schol.* Conscientia erronea duplex est, *vincibilis*, et *invincibilis*. Prior est illa quae, adhibita morali diligentia, vinci potest, ac superari; secunda vero non item; Unde haec dicitur *involuntaria*, et *inculpabilis*; illa vero *voluntaria*, et *culpabilis*.

§. 36. *Def.* 5. *Conscientia probabilis est actus intellectus practici, ex principiis tantum probabilibus, dictantis quid hic et nunc bonum, quid malum sit.*

§. 37. *Schol.* Probabilis conscientia duplex est, probabilis nempe *ab intrinseco*, si fundatur in rationibus intrinsecis; *ab extrinseco* autem, si fundatur in auctoritate.

§. 38. *Def.* 6. *Conscientia dubia est suspensio intellectus inter utramque contradictionis partem, ita ut nulli assensum, vel dissensum præbeat.* Haec

itaque proprie conscientia dici nequit, quia conscientia importat essentialiter actum (§. 29.).

§. 39. *Schol.* Conscientia dubia, alia dicitur *speculative*, alia *practice* dubia. Prima habetur cum quis dubitat de re aliqua in genere, quin veniat ad praxim; ut si quis dubitat, an liceat alicui in necessitate aliqua furari. Secunda habetur cum quis dubitat in specie; v. g. an in hac necessitate, in qua versatur possit furari. Insuper conscientia dubia alia dicitur *juris*, *facti* alia. Prima habetur, quando dubitatur de existentia legis; an nempe, v. gr. adsit casus reservatus cum excommunicatione contra conficientes venena in hominum perniciem; Secunda vero habetur cum quis dubitat de facto; veluti, an revera venenum ad talem finem confecerit. Tandem dividitur conscientia dubia in dubiam *positive*, si pro utraque parte contradictionis aequales habet rationes; et in dubiam *negative*, si pro neutra parte rationes habet.

§. 40. *Def.* 7. *Conscientia scrupulosa denique est illa quæ formatur ex principiis futilibus et ineptis.* His breviter expositis, videndum; an conscientia sit humanarum actionum regula, et quomodo. Id quod, distinctis propositionibus, absolvemus.

PROPOSITIO I.

Conscientia est actuum humanorum regula.

§. 41. Prob. Apostolus ad Romanos scribens ait (Cap. III. v. 16.): *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Ex Apostolo itaque, conscientia est veluti lex ad nostrorum actuum moralium directio-

nem, ab ipso auctore naturae in humana nostra ratione inserta, et expressa; Ergo conscientia est actuum humanorum regula.

PROPOSITIO II.

Omnino sequi tenemur conscientiam rectam, dictantem aliquid vel faciendum, vel omittendum sub praecepto.

§. 42. Prob. Homo ratione utens debet suas actiones conformare ad regulas morum; Atqui conscientia recta est morum, et actuum humanorum præcipua, immediata, et tuta regula, quia id quod dictat tale est in se (§. 32.); Ergo etc.

§. 43. *Coroll.* Peccat ergo quicumque conscientiam rectam non sequitur, vel contra eam agit. Nam teste Gentium Doctore (Roman. Cap. XVI. v. 23.); *quod non est ex fide*, hoc est ex conscientia, et recta regula agendi, *peccatum est.* Peccatum quidem mortale, vel veniale, prout illud quod conscientia dictat, sub mortali, vel veniali dictet; Quinimo mortale peccatum, si simpliciter dictat esse peccatum; quia agens contra eam, periculo mortaliter peccandi se exponit.

PROPOSITIO III.

Conscientiam erroneam invincibilem sequi tenemur positive, negative *autem vincibilem.*

§. 44. Prob. 1. p. Homo in suis actibus sequi tenetur conscientiam rectam (§. 42.); Atqui conscientia erronea, cum est invincibilis, habetur ut recta, quia nullus error apparet, nec adhibita diligentia detegi potuit; Ergo eam sequi tenetur *positive*, hoc est secundum ejus dictamen agere.

§. 45. Prob. 2. p. Conscientia erronea vincibilis debet deponi; ergo non potest eam homo positive sequi; imprudenter enim ageret. At nec contra eam agere potest. Nam quoadusque error non deponatur, et quod revera rectum est non appareat, illius dictamen ut rectum apparet; ideoque obligat, ne contra ipsum agatur; Adeoque etc.

PROPOSITIO IV.

Dummodo opinio sit vere probabilis, eam sequi possumus, non tamen in omnibus.

§. 46. Probatur. Opinio vere probabilis illa dicitur, quae firmum habet fundamentum sive in intrinsecis rationibus, sive in auctoritate virorum prudentum, et doctorum; Sed qui hanc opinionem sequitur, prudenter se gerit; Ergo etc. Consulto diximus *dummodo opinio sit vere probabilis;* nam si est tenuis probabilitatis, nec possumus, nec debemus; Unde merito damnata fuit ab Innocentio XI. haec propositio (Ord. 3.): *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

§. 47. Prob. 2. p. Nam 1. non possumus sequi opinionem probabilem in materia Sacramentorum, quia istae materiae versantur circa validitatem actus, quae non desumitur ex judicio, licet prudenti, sed vel ex propria natura, vel ex intrinseca institutione alterius. In casu tamen necessitatis, ait Praeceptor subtilis (1) nos posse. Inquit enim: *Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda; si non adest,*

(1) In IV. Dist. III. q. II. §. 3. A Bononia T. IV. Tract. I. pag. 38.

via tutissima proxima est tenenda. Cessante autem impossibilitate, caute est supplendum, quod impossibilitas prohibet, et hoc ob charitatem proximo debitam, ne exponatur damnationis periculo. 2. in materia justitiae licitum nobis non est sequi opinionem probabilem; quare merito proscripta fuit haec propositio ab Innocentio XI. (In ord. 2.): *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Imo etiamsi litigantes habeant pro se rationes aeque probabiles, non potest judex ab uno pecuniam accipere, et pro illo sententiam ferre; quia tunc tenetur pro rata definire, et oppositum damnatum fuit ab Alexandro VII. (Prop. ord. 26.): *Quando litigantes habet pro se æquales opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere ad ferendam sententiam in favorem unius præ alio.* In causis tamem criminalibus, licet aliquando sequi opinionem probabilem; quia: *Satius est* (Ex lege si absentes etc.) *impunitum esse facinus nocentis, quam condemnare innocentem.* 3. In materia medicaminum sequi non debet opinio probabilis; quia medicamina non fundantur in rationibus, sed in eorum natura, aliunde autem agitur de re magni momenti, qualis est salus, et vita hominis. Licebit tamen aliquando, si adhibitis omnibus modis, salus infirmi desperatur, nec aliud superest, quam probabilitas de alicujus remedii utilitate, in tali casu. Tunc enim prudenter agitur, et infirmo consulitur, nec desunt exempla infirmorum, qui e mortis faucibus, talibus medicamentis, erepti sunt.

PROPOSITIO V.

Non licet sequi opinionem minus probabilem stantem pro libertate, in concursu probabilioris stantis pro præcepto.

§. 48. Prob. 1. Praecepto Divino omnes tenentur Deum diligere (Lucæ Cap. X. v. 27.) *ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus viribus*. Huic autem praecepto, nullo perfectiori modo satisfacere possumus, quam observantia mandatorum ipsius Dei, juxta illud Christi Domini (Joann. Cap. XVI. v. 24.): *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me*. Ut ergo Deum diligere dicamur, tenemur, quantum fas est, et totis viribus ad legem accedere, legi favere, et ad legis praescriptum actus nostros componere; Atqui si licitum esset sequi opinionem minus probabilem stantem pro libertate, in concursu probabilioris stantis pro praecepto, possemus a lege recedere, legi contraire, secundum libertatem, et non secundum legem agere; Ergo non licet etc. Deinde Spiritu Sancto monente, debemus fugere peccata, quomodo fugimus a facie serpentis (Eccles. Cap. XXI. v. 2.); quasi diceret: Sicuti non solum serpentis morsum formidamus, sed vel ejus aspectum fugimus; ita non solum peccatum, sed vel ipsam peccati apparentiam fugere debemus; id quod expressis verbis docuit Apostolus, dum ad Thessalonicenses scripsit (Cap. V. v. 22.): *Ab omni specie mala abstinete vos*; Atqui si licitum esset sequi opinionem minus probabilem stantem pro libertate, in concursu probabilioris stantis pro praecepto, non fugeremus ab aspectu ipso peccati, et ab omni specie mala, quin potius ad peccatum propius accederemus; Ergo etc. Ulterius ait Christus apud Matthaeum (Cap. VII. v. 13. 14.): *Lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perdi-*

tionem . . . . : *Angusta porta, et arcta via est; quæ ducit ad vitam. Contendite intrare* (Lucæ Cap. XIII. v. 21.) *per angustam portam*; Sed qui sequitur opinionem minus probabilem stantem pro libertate, in concursu probabilioris stantis pro praecepto, non solum non contendit intrare per angustam portam, sed conatur intrare per viam latam et spatiosam; Ergo ad vitam non perveniet; adeoque etc. Tandem: Homo sensatus et prudens id amplectitur, quod omnibus perpensis, recte judicat magis rationi, et legi consentaneum, quodque propterea magis distat a periculo peccandi; Atqui magis rationi, et legi consentaneum est, et magis a peccandi periculo distat sequi opinionem probabiliorem statem pro praecepto, in concursu minus probabilis stantis pro libertate; Ergo etc.

Argumenta opposita solvuntur.

§. 49. *Objicies.* 1. Opinio licet minus probabilis, gravi tamen, atque rationabili fundamento innititur; Ergo a viro prudenti sequi potest; Adeoque etc.

§. 50. R. Opinio licet minus probabilis habet quidem grave fundamentum, et sequi potest a viro prudenti (§. 46.); at si spectetur speculative, et seorsim, non autem in praxi, et comparative, cum nempe opinio probabilior, quae stet pro lege, apparet, eique comparatur. Fac quaeso alicui egenti pondus offeratur duarum unciarum argenti, quid ille faciet? accipiet utique gratanter, rebusque consulet suis, sicque prudenter aget. At fac ei offerantur simul duo argenti pondera, unum quidem duarum, alterum octo unciarum, cum facultate ut unum ex his eligat; Quid ille faciet? certe pondus octo unciarum argenti accipiet, relicto alio duarum unciarum. Et si aliter faceret? Veluti stultus, et imprudens risu exciperetur. Ita in casu nostro: quæ-

renti quid verum, quid falsum sit cognoscere, se offert opinio probabilis, non potest ad certitudinem pervenire, illam amplectitur; bene habet, prudenter se gerit; at ei se offerunt duae opiniones, una probabilior altera, haec libertati, illa legi favens: Quam e duabus amplexabitur vir prudens, et intelligens corde? minus probabilis, et favens libertati; imprudens certe foret, et dignus qui risu exciperetur. Quam ergo? probabiliorem et stantem pro praecepto, minus probabili relicta, stante pro libertate.

§. 51. *Contra.* Atqui opinio probabilis etiam spectata comparative, sequi potest. Ergo n. r. Prob. subsm. Opinio illa minus probabilis, licet in concursu probabilioris, non amittit suam gravitatem, et rationabile fundamentum; Ergo potest sequi a viro prudenti.

§. 52. R. Non amittit suam gravitatem etc., sed vincitur ab alia quae majorem habet gravitatem, et rationabile fundamentum; unde licet seorsim spectata, viri prudentis assensum mereretur, non meretur tamen, quia in concursu cum illa probabiliore.

§. 53. *Contra.* Atqui non obstante quod opinio minus probabilis vincatur ab opinione probabiliore; adhuc illam sequi possumus; Ergo n. r. Prob: subsm. Motivum grave, hoc ipso, quod grave est, dignum est assensu, et facit magnam spem assequendæ veritatis. Sed, ex concessis, opinio minus probabilis, non amittit motivum grave; Ergo digna est assensu; Adeoque etc.

§. 54. R. dist: maj: Quamdiu non apparet motivum gravius, vel æquale in oppositum, conc:, cum apparet motivum gravius, vel æquale pro parte opposita, n: maj; et admissa min: in sensu datæ distinctionis, n. consm. Opinio probabilis, quamdiu in se spectetur, et absque ullo rispectu ed aliam opinionem quae majores, et plures habet gradus probabilitatis, sequi optime potest, habet enim rationabile, et grave

fundamentum, cui potest quis inniti; Ad si adversus eam alia opinio insurgit, quæ sit probabilior; hæc utique ob rationabilius, atque gravius fundamentum, quod habet, magis trahit ad assensum, et ita quidem ut ei contraire, sit contra intellectus propensionem, cujus est ad verum tendere, quod est ejus objectum.

§. 55. *Objic*: 2. Ex communi Theologorum sententia, opinio probabilis dicitur illa, quae neque Scripturæ, neque SS. Patribus, neque Ecclesiae decretis adversatur; Atqui hæc sequenda est, dicente S. Leone Papa (In Can: sicut quaedam): *In iis quæ dubia fuerunt, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis SS. Patrum inveniatur adversum*; Ergo etc.

§. 56. R. Opinio probabilis si in se, et absolute spectetur, Sacris Scripturæ, Ecclesiæ, Sanctorumque Patrum Decretis non adversatur; atque hinc in iis, quæ dubia sunt, atque incerta sequenda est; Sed in concursu probabilioris, cum hæc magis ab errore distet, et veritati accedat, illa potius Scripturae, Sanctorumque Patrum decretis adversa dici debet, atque hinc non sequenda. Scripturæ namque, Patres, et Ecclesia ubique clamant, peccandi pericula fugienda, veritatem ubique sectandam.

§. 57. *Contra*. Atqui opinio probabilis etiam, si comparate spectetur, sequi potest; Ergo n. r. Prob: subsm. Summi Pontifices sæpe dispensarunt in casibus, in quibus minus probabile erat eos posse dispensare; Ergo etc.

§. 58. R. neg: antec: Si qui Summi Pontifices in concedendis dispensationibus, aliquando a communiori sui temporis sententia recesserunt, id ideo factum est, quia facta diligenti inquisitione, oppositam sententiam judicarunt longe probabiliorem esse ex motivis intrinsecis; hinc non sequuti sunt com-

nionem minus probabilem in concursu probabilioris; quia licet illa quam sequuti sunt videbatur minus probabilis, per ipsos fuit probabilior, atque hinc oppositæ præferenda, licet hæc probabilior antea videretur.

§. 59. *Contra.* Atqui summi Pontifices aliquando dispensarunt, non quia judicarunt sententiam oppositam longe probabiliorem esse, sed nullo habito respectu ad probabiliorem, probabilem sunt sequuti; Ergo n. r. Prob. subsm. In Capite *laudabilem*, Celestinus III. triennium experientiæ concedit eis, qui Matrimonium contraxerunt, si dubitarent, an impotentia sit absoluta, vel temporalis. Sed minus probabile est, illos sub finem triennii non fore impotentes; Ergo etc.

§. 60. R. Ex laudato Capite nihil contra nos concluditur; Etenim, quamvis minus probabile esset, illos sub fine triennii haud esse impotentes, certum tamen est, 1. Ecclesiam, in dubio an impotentia sit absoluta vel temporalis, posse certum tempus experientiæ concedere iis, qui jam contraxerunt, alioquin si hoc non concederetur, vel matrimonium dissolveretur in dubio de ejus valore, quod non licet, vel contrahentibus prohibendum esset, ne in tali dubio uterentur conjugio, et ne aliud iniretur, quod etiam fieri non potest sine injuria illorum, qui bona fide contraxerunt, et sine necessitate et culpa sua periculo incontinentiae exponerentur. 2. tempus illud triennii prudenter statutum esse, ut adhibitis mediis possibilibus et licitis conentur, impotentiam tollere; nam hoc tempus nec nimis breve, nec nimis longum est; et circa finem triennii impotentia cessare potest (1).

(1) Plura de hac controversia habent Auctores. Legantur L' Herminier Tomo V. de Actib. Humanis pag. 38. Continuat. Tournely Tomq 1. de Actibus Human. Cap. VII. art. V. pag. 154. Henno Tomo I. de Con-

PROPOSITIO VI.

Coscientia dubia non est actuum humanorum regula.

§. 61. Nam conscientia dubia non dictat quid actu agendum sit, vel omittendum; nec proinde est proprie conscientia (§. 38.). Ea enim mens non determinatur ad assensum, sed anceps remanet inter utramque contradictionis partem. Unde qui laborat conscientia dubia, nequit agere, sed tenetur dubium deponere, quod si nolens deponere agit, peccat contra illam virtutem, cui opponitur peccatum, de quo dubitat, licet quod agit, per se opus peccaminosum non sit. Hinc si quis dubitat, an proferre vel unum verbum in Ecclesia sit peccatum lethale, et cum tali dubio verbum in Ecclesia profert, peccatum lethale utique committit, quia quantum ex se fuit, periculo lethaliter peccandi se exposuit. Unde in Ecclesiastico habetur (Eccl. Cap. III. v. 25.): *qui amat periculum in illo peribit* (1).

DE LEGE NATURALI, ET POSITIVA.

§. 62. Quae a Tyrone theologo de Conscientia prima actuum humanorum regula (§. 28.), necessario erant scienda, brevi calamo jam explicavimus; restat modo, ut ea quae ad alteram regulam spectant, Legem nempe, pari brevitate, atque claritate, pertractemus. Sit itaque.

---

scientia Disp. III. q. 3. pag. 145. Dupasquier Tomo IV. de Conscientia Disp. V. concl. 2. Berti Lib. XX., Cap. XVI.

(1) Vid alia fusius apud citat. Henno ibid Disp. II.,

CAPUT III.

De natura, et divisione Legis.

§. 63. *Animad.* Lex ita dicta, vel a *legendo*, ut ait S. Isidorus (Lib. III. Etym. Cap. X), quia apud Veteres in publicis tabulis Leges scribebantur, et Populo legendae proponebantur, ut omnibus innotesceret quid agendum esset, vel omittendum; vel ab *eligendo, ut a multis quod eligas sumas*, ait S. Augustinus (Quaest. XV. Novi Testam.); vel tandem a *ligando*, ajunt S. Thomas (T. 2. q. 90. art. 1.), et Doctor Subtilis (In IV. Dist. 15. q. 2.), quia Legibus homines ligantur, et obligantur ad aliquid faciendum, vel omittendum. Quocumpue autem ex capite Lex dicatur, communiter definiri solet, ut sequitur:

§. 64. *Def. 1. Lex est recta ratio agendorum a publica Potestate Communitati denunciata, cum voluntate eam perpetuo obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum, propter bonum commune.*

§. 65. *Coroll*: Ad veram ergo legem hae requiruntur conditiones; 1. ut *sit recta ratio agendorum*; *honesta* nempe, ait S. Isidorus (In Cap. Erit autem Lex 2. Dist. 4.), *justa, possibilis, necessaria, utilis*; Si namque inhonesta, et injusta, non erit recta ratio agendorum; hinc S. Augustinus (Lib. I. de Lib. arbit. Cap. V.): *Mihi Lex esse non videtur*, inquit, *quae justa non fuerit*; sed neque si fuerit impossibilis, et inutilis; Quomodo enim Lex foret recta ratio si absque ratione statueret? Quomodo agendorum, si quod praecipit vires superet agentium? Vulgare est illud (Lib. Impossib. 185. ff. de Reg. Juris.): *Impossibilium nulla est obligatio.* 2. ut *a publica Potestate feratur*; hoc est ab habente publicam auctoritatem. Obligare namque totam Communitatem ad aliquid, non potest, nisi qui ei praeest,

ejusque curam publicam gerit. 3. ut sit *Communitati denunciata*, hoc est promulgata. Si enim lex non promulgatur, eam Communitas ignorabit; et si ignorabit, eam observare non poterit; quare lex inutilis erit. 4. ut sit lata cum *voluntate perpetuo obligandi etc.* De natura namque legis est, ut obliget in perpetuum, nisi postmodum legitime revocetur. Siquidem nisi lex in perpetuum obligaret, nullus posset de jure suo esse securus; Communitatis ordo saepius perturbaretur; unde lex non utilis, sed nociva foret. 5. denique ut sit *propter bonum commune*; *Lex enim est commune præceptum, communis Reipublicæ sponsio* (In L. I. ff. de legibus.); Et jam dixerat Tullius (Lib. I. de Legibus.): *Constituendas esse leges publicæ salutis caussa.*

§. 66. *Schol*: Lex alia est *æterna*, alia *temporalis*; et haec alia *naturalis*, *positiva* alia.

§. 67. *Def.* 2. *Lex æterna*, ex S. Augustino (1), *est ratio Divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Seu strictius: *Lex æterna est ordinatio quædam divinæ voluntatis ab aeterno fixe determinantis, quæ sint agenda, vel cavenda a creatura rationali, ut debitum finem assequatur. Lex vero temporalis est illa quae in tempore condita est; estque veluti participatio Legis æternæ;* unde et lex *participata*, aut per *participationem*, solet appellari.

§. 68. *Def.* 3. *Lex naturalis est Ordinatio Dei auctoris naturæ, rationali creaturæ indita, fixe, et permanenter statuens quid agendum sit, vel omittendum. Lex* autem *positiva est illa, quæ ab aliquo principio extrinseco potestatem habente ponitur.* Et hæc rursus dividitur in *divinam*, et *humanam*, ut infra.

---

(1) Lib. XXII. contra Faustum Manichaeum Cap. XXVII.

§. 69. *Schol.* Omnes Fatalistae, qui Mundum, omniaque fato subjecta esse dixerunt, atque Dei providentiam negarunt, Dei quoque legem æternam e medio sustulerunt. Thomas Hobbesius cum suis Sectatoribus, veterum quorumdam Philosophorum errores sequutus, legem ipsam naturalem evertit, dicens: *Nihil ipsa natura justum vel injustum; bonum vel malum; honestum vel inhonestum esse; sed omnem justitiam et injustitiam ex pactis, et civilis Magistratus judicio, et voluntate repetendam esse.*

PROPOSITIO I.

Datur Lex Dei æterna.

§. 70. Prob. Deus est immutabilis (§. 81. T. III.); nihil ergo vult ab hominibus in tempore fieri aut omitti, quod ab æterno non viderit, atque ordinaverit ab illis faciendum esse, vel omittendum, ut debitum finem assequatur; Atqui lex æterna nihil est aliud quam ordinatio quædam divinæ voluntatis, ab æterno fixe determinatis, quæ sint agenda, vel omittenda a creatura rationali, ut debitum finem assequatur (§. 67.); Ergo etc. (1).

§. 71. Dices. Divina ordinatio facta ab æterno non fuit ab æterno promulgata, atque aliis imposita ad observandum; sed de natura legis est, ut promulgetur (§. 65.); Ergo divina ordinatio facta ab æterno Lex proprie dici nequit; Adeoque Lex Dei æterna non datur.

§. 72. R: dist. min. Sed de natura legis in actu primo, hoc est prout est in mente, et decreto Legislatoris, est ut promulgetur, n. min.; in actu secundo, et prout importat obligationem eam adim-

(1) Vid. Frassen De Legibus Disp. III. q. I.

plendi, est ut promulgetur, conc. min.; Ergo etc., n. utramque consm. Ut aliqua ordinatio vim legis habeat, non semper requiritur ut cum fit, statim promulgetur, sed tunc solum, cum ad sui observantiam vult subditos obligare. Hinc ex quo divina ordinatio facta ab aeterno, ab aeterno promulgata non fuerit, hoc solum inferri potest, eam ab aeterno non obligasse; homines namque nonnisi in tempore fuerunt, non vero quod lex proprie non fuerit.

PROPOSITIO II.

Datur Lex naturalis, quæ homini dictat quid bonum, quid malum sit, quid agendum, vel omittendum.

§. 73. Prob. ex Scripturis. Regius Psaltes (Psal. IV. v. 7.) ait: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* (Quae interrogatio quotidiana, nostris praecipue infelicissimis temporibus, *est omnium stultorum atque impiorum*, ut olim scripserat S: Augustinus (In hunc locum.)): Statim ipse respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine;* Hoc est, ait Titelmannus (Ibib.) « Ecce inditum est, et im» impressum nobis rationalibus creaturis naturale lu» men, quod a facie Dei, hoc est ab illo increato, » infinito, et inextimabili lumine, veluti quaedam » particula, et quaedam participatio illius immensi » luminis, in apice mentali, et vi animae suprema » desuper immissum, Deo nos assimilat, et Dei ima» gine veluti consignat; in quo lumine, naturaliter » ea quae bona sunt, et sectanda, quaeve ex oppo» sito mala, et fugienda cognoscimus ». Ergo etc. Deinde Apostolus ad Romanos scribens (Cap. II. v. 14.), ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Sane, inquit S. Au-

stinus (In Psal. 57. in initio.); Manu formatoris » nostri, in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: » *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri.* Hoc et » antequam daretur, nemo ignorare permissus est, » ut esset unde judicarentur, et quibus lex non es- » set data; sed ne sibi homines aliquid defuisse que- » rerentur, scriptum est et in tabulis, quod in cordi- » bus non legebant; Non enim scriptum non habe- » bant, sed legere nolebant »; Ergo etc. (Berti Lib. XX. Cap. IV. Prop. 2.).

PROPOSITIO III.

Lex naturalis, quoad principia generalia, eadem omnino est in omnibus hominibus, quocumque in statu spectatis.

§. 74. Prob. Deus omnibus hominibus sufficientia media ad salutis consequutionem paravit (§. 243. Tomi III.). Jam vero inter talia media non infimum locum tenet Lex naturalis, saltem quoad principia generalia; Ergo etc. Deinde Lex naturae, non homini aliquo in particulari, sed speciei humanae data fuit; Ait namque Propheta (Psal. IV. v. 16.): *Signatum est super nos* (non super me) *lumen vultus tui Domine;* Ergo quoad etc.

PROPOSITIO IV.

Lex naturalis in conscientia obligat ad servanda sua praecepta.

§. 75. Prob. Si Lex naturalis non foret præceptiva, possent homines absque peccato contra eam agere; Atqui non possunt homines absque peccato contra eam agere; Ergo etc. Prob. min. Apostolus ad Romanos scribens, ait (Cap. II. v. 12.): *Quicum-*

quæ sine lege (scripta) *peccaverunt*, *sine lege peribunt ;* Atqui perire non deberent si absque peccato possent contra Legem naturalem agere ; Ergo non possunt etc. Deinde homo, qui non sequitur conscientiam rectam dictantem aliquid esse faciendum, vel omittendum, peccat (§. 43.) ; Atqui lex naturalis recte dictat quid faciendum sit ; vel omittendum, quoad principia generalia ; Unde Apostolus (Epist. ad Galatas Cap. V. v. 19.) : *Manifesta*, inquit, *sunt opera carnis*, *quæ sunt fornicatio*, *immunditia quoniam qui talia agunt*, *regnum Dei non possidebunt* ; Ergo peccat qui contra eam agit. Tandem : Deus legem naturalem homini dedit, ut suum debitum finem assequeretur (§. 57.) ; Atqui vult Deus ut homo suum debitum finem assequatur ; Ergo vult Deus ut homo legem servet naturalem ; Ergo contra Dei voluntatem facit, et peccat qui legem non servat naturalem ; Adeoque etc. (1).

Quaeres. *Quaenam sit differentia inter legem æternam, et naturalem?*

§. 76. R. Haec est differentia ; 1. quod lex aeterna nulli creaturae est promulgata, Lex vero naturalis, in tempore hominibus data est ; 2. Lex æterna est tantum in mente Dei existens, imo Deo inexistens ; Lex autem naturalis in singulis hominum animis insita est, atque insculpta ; 3. Lex æterna à nulla alia derivatur ; Lex autem naturalis est participatio legis aeternae, ab eaque derivatur (§. 67.).

---

(1) Vid. Dupasquier Tomo IV. de Lege naturae Disp. VII. q. II. Concl. 1. 2.

CAPUT IV.

In quo discutitur: An in Legem naturæ cadere possit dispensatio?

§. 77. *Def.* 1. *Dispensatio est legis relaxatio* eaque duplex est; *propria* nempe, et *impropria*.

§. 78. *Def.* 2. *Dispensatio propria est illa, qua superior aliquem eximit a legis obligatione, manente in lege eadem materia, iisdemque circumstantiis, sub quibus lex viget, et obligat. Impropria vero est illa, qua superior vel mutat legis materiam; vel aufert conditiones illas, sub quibus lex obligabat; unde fit, ut lex desinat obligare, relate ad illum, in cujus favorem facta est mutatio.* Circa propositam itaque materiam

Variæ sunt Doctorum, et Theologorum sententiæ.

§. 79. Putant aliqui cum Ochamo, Gersonio, aliisque, Deum in omnibus præceptis Legis naturae dispensare posse. Existimant alii plurimi cum Divo Thoma, Deum in lege naturali dispensare non posse. Alii tandem mediam tenentes viam, asserunt cum Subtili Doctore, et Seraphico Bonaventura, Deum in praeceptis primæ tabulae minime dispensare posse bene vero aliis. Hos sequi gloriamur, sunt namque nostri Patres, et Praeceptores, et magnae auctoritatis in Ecclesia Dei. Attamen servato, quod his debetur obsequio. Licet improbabile non sit, in aliquibus praeceptis secundae tabulae posse Deum proprie dispensare, tamen

PROPOSITIO I.

Probabilius videtur neque in præceptis primæ tabulae, neque in præceptis secundæ posse Deum vera, propria, et rigorosa dispensatione dicta, dispensare.

§. 80. Prob: Et quod attinet ad praecepta primae tabulae, non potest Deus dispensare « quia, » verba sunt Seraphici Doctoris (Lib. I. Dist. XLVII. » in Resol.), eorum opposita sunt mala secundum » se, ipsa enim praecepta dicunt ordinationem ad » Deum, sive in finem de sua ratione, et eorum op- » posita deordinationem. Et ideo si contrarium prae- » ciperet, praeciperet contra se; contra se autem non » potest facere, et si illa praeciperet (cum illa sint » mala secundum se, ita quod nullo modo possunt bene » fieri), aut Deus vellet malum, quod est inconve- » niens: aut impune fieret malum: aut idem esset » bonum et malum, quorum utrumque est inconve- » niens simpliciter »; Ergo etc. Quod vero attinet ad præcepta secundae tabulæ, Deum in iis dispensare non posse clare patet ex sequentibus rationibus. Et primo quidem Deus est omnium Dominus: *Ipse mortificat et vivificat* (Lib. I. Reg. Cap. II. v. 6. 7.): *deducit ad inferos, et reducit. Dominus pauperem facit, et ditat;* et ipse habet potestatem vitae, et mortis (Sapientiæ Cap. XXI. v. 13.); ita ut quando vult, et quomodo vult, de hominibus, et de rebus omnibus disponit. Hinc jussit Abrahae, ut ipsi filium suum sacrificaret; Ab Ægyptiis abstulit dominium vasorum argenteorum, et aureorum, atque in Israelitas transtulit (Exodi XI. v. 2.); per Prophetam Samuelem praecepit Sauli ut percuteret Amalec, et universa ejus demoliretur (Lib. I. Regum Cap. XV. v. 3.); nec non et omnes interficeret a viro usque ad mulierem, et parvulum, atque lactentem etc. Omnia itaque naturae praecepta, quae proximi bona

respiciunt; quibus nempe prohibemur ne bona aliorum rapiamus; ne sanguinem alicujus fundamus etc., ita sunt intelligenda, ut prohibeamur id facere privata auctoritate, et ex propria prava voluntate, et cordis malitia, non autem auctoritate publica, et Dei, aut de ipsiusmet permissione; Ut ergo in his naturae praeceptis Deus vere, et proprie dispensare dicatur, homini dare Deus deberet potestatem id facere privata sua auctoritate; Ex parte enim Dei, et publicae auctoritatis, sicuti nulla est prohibitio Legis, ita nulla, vel ad summum indirecta est dispensatio; Atqui impossibile est posse Deum jubere, aut permittere, ut aliquid contra Legem naturalem ab homine, privata auctoritate, fiat; Ergo Deus in praeceptis Legis naturae dispensare non potest. Prob. min. Si aliquid jussu, aut permissione Dei fieri posset privata auctoritate contra Legem naturae, fieret simul, et non fieret privata auctoritate; fieret, ut supponitur; non fieret autem, quia jubente Deo, aut permittente, fieret; sed impossibile est idem simul esse, et non esse; Ergo impossibile est etc.

§. 81. Secundo. Lex naturalis, ex D. Augustino (1), est ipsius aeternae Legis, atque adeo summae incommutabilis ipsius Divinæ sapientiae in mentibus hominum facta transcriptio; Ergo ab ipso Deo indispensabilis est. Prob. consa. Deus Lege aeterna, et naturali id praecepit, quod erat recte rationi consentaneum, proindeque necessario praecipiendum; et e contra illud prohibuit, quod necessario prohibendum erat, utpote a recta ratione dissonum; Ergo si dispensare posset in praeceptis Legis naturae, aut foret mutabilis, aut sibi ipsi contradiceret, et negaret seipsum; Esset mutabilis, quia quod fixe ab aeterno

(1) Vid. Abelly Tomo II. de Legibus Cap. VII. Sect. I. n. 5.

(§. 40.) determinavit faciendum esse, vel omittendum, et in tempore in corde hominis inscripsit, mutaret; sibi contradiceret, et negaret seipsum; quia permanente eadem materia, et stantibus iisdem circumstantiis, eadem actio esset mala, et bona; mala, quia talis in se, et ab aeterno fixe determinata talis, quoniam a recta ratione dissona, bona vero quia a Deo permissa, et ideo quia talis rectae rationi consentanea; Atqui Deus immutabilis est (§. 81. T. III.) neque contradicere sibi potest, aut negare seipsum, ut ait Apostolus (Epist. ad Tim. Cap. IV.); Ergo etc.

Argumenta opposita solvuntur.

§. 82. *Objic:* 1. Deus non semel Naturæ legem dispensavit; Ergo falsa propositio. Prob: antec. Naturæ lex vetat occidere innocentem; Atqui Deus (Gen: Cap: XXII. v. 2.) Abraham ab hac lege dispensavit, jubens ei, ut sibi filium suum innocentem sacrificaret; Ergo etc.

§. 83. R. dist: maj. privata auctoritate, conc: auctoritate publica, nego maj:, et negata min: in sensu datæ distinctionis, nego consm. Non quælibet hominis occisio est contra legem naturæ, sed illa, quæ privata fit alicujus auctoritate. Cum ergo Abraham non privata sua auctoritate, sed a Deo, qui est Dominus vitæ, et mortis, et potestatem habet omnis carnis, jussum habuerit ipsi filium suum Isaac offerendi in olocaustum, proculdubio in dicto exemplo dispensationem non obtinuit Abraham a naturali lege non accidendi.

§. 84. *Contra.* Ex concessis, potuit Abraham filium suum immolare absque legis naturalis transgressione, quia id fecit auctoritate Divina; ergo ex con-

---

(1) Berti Lib. XX. Cap. IV. Prop. III.

cedendis, ipse fuit vere, et proprie a Deo dispensatus. Probatur consa. Qui auctoritate sua publica licitam facit occisionem, quæ alias, auctoritate privata, foret illicita, ille in præcepto non occidendi innocentem, vere et proprie dispensat. Sed Deus jubendo Isaac occidi, auctoritate sua licitam fecit occisionem, quæ alias, auctoritate privata fuisset Abrahae illicita; Ergo si ex concessis etc.

§. 85. R. dist. maj. Qui auctoritate sua etc. et id facit in casibus per Legem non expressis, ille in præcepto etc: conc. maj; si vero id non facit, nisi in casibus Lege expressis, n. maj; et dist: min. Sed Deus jubendo etc., et id fecit in casu per Legem expresso, conc. min; secus, n. min; et consm. Ad dispensationem certe proprie dictam non sufficit ut auctoritate publica alicujus id licitum fiat, et declaretur, quod alias auctoritate privata foret illicitum, secus judex, qui tortori praecipit, ut alium laqueo suspendat, cum eo dispensare dici posset in praecepto non occidendi, quod contrariæ sententiæ præclarissimi Patroni, nec etiam admittunt: quippe qui ne ipsum quidem Romanum Pontificem juris naturæ praecepta relaxare posse volunt. Ad rectam igitur dispensationis rationem requiritur necessario, ut auctoritate publica, Legem, quæ pro omnibus generaliter fuit lata, et ex se exceptionem nullam admittit, in certis circumstantiis quis restringat, ubi obligare rigorose deberet. Quare lex non occidendi cum generaliter lata non sit, sed cum exceptione, nisi scilicet Deus, vel justa, ac legitima Potestas, vel vitae propriae servandæ necessitas id exegerint; cui a Deo praeceptum est ut alium hominem occidat, nullo modo proprie dispensatus dici debet: quod lex illa nunquam ita universaliter sit lata, in iis etiam circumstantiis vigeret, in quibus, qui vitæ et necis supremus arbiter est, aliquem sive reum, sive non e vivis, aut per se, aut per alium tollere vellet.

§. 86. *Contra.* Atqui Abraham cum auctoritate divina filium immolavit, quod non poterat auctoritate privata, a lege naturali fuit relaxative dispensatus; Ergo n. r. Prob. subs. Si quis ex superioris licentia non jejunet, vel in die festo operetur, dicitur dispensatus, quoniam facit auctoritate publica, quod non poterat privata: ergo pariter Abraham.

§. 87. R. dist. ans. Si quis etc. dicitur dispensatus etc., si casus illi lege eximuntur, conc. ans., secus n. ans, et consm cum paritate. Cum igitur quis de superioris licentia non jejunat, aut in die festo operatur; vel casus illi exceptionem in lege habent, cum scilicet ratione infirmitatis, aut laboris non jejunat, aut ratione necessitatis in die festo operatur; vel lege nullatenus excipiuntur: Si primum, proprie dispensatus minime dici potest, cum lex vere et proprie non relaxet in casu, pro quo non est lata, sed tantum improprie, et declarative: Si secundum, nihil contra nos concludit; nam in tali casu non varitur materia præcepti, quia ejus obligatione remanente, aliquis legi a superiore subducitur. At in casu nostro materia præcepti immutatur, cum occidere jubente Domino, et judice, praecepto non occidendi minime prohibeatur; nec proinde lex restringatur, ceteris in eodem casu remanentibus lege obligatis. Ceterum si hanc legis cessationem contrariae sententiae Patroni dispensationem appellare volunt, et quidem impropriam, atque declarativam, nobiscum in re conveniunt; et pugnat solum *logomachia*; sive nomine tenus, ut subtilissime more suo Mastrius (dist. 11. de legib. etc. 2. art. 3. §. 51.) advertit.

§. 88. *Objectio.* 2. Si praecepta secundae tabulae forent indispensabilia, intellectus Divinus, ut praevenit voluntatem, judicaret necessario hos actus esse amandos, illos odio habendos, et sic necessitatem imponeret Divinæ voluntati; Atqui circa mores, et actus humanos, Divina voluntas nunquam necessita-

tur; Ergo saltem praecepta secundae tabulae sunt a Deo dispensabilia.

§. 89. R. 1. per instantiam. Praecepta primae tabulae etiam praescribunt actus homanos; et quamvis intellectus Divinus voluntatem præveniat, judicetque necessario hos faciendos, illos respuendos, circa illos tamen Divina voluntas libertate fertur, nec ei per adversarios, aliqua necessitas imponitur: et nihilo tamensecius, ipsorum judicio, dispensationem nullam admittunt; Ergo pariter et secundæ tabulæ praecepta. Sed directe.

§. 90. R. 2. dist. sequelam maj: et sic necessitatem imponeret Divinae voluntati necessario approbandi quae bona sunt, et odio habendi quae mala, c. maj., secus n. maj., et negata min. in sensu distinct: n. consm. Siquidem intellectus Divinus necessarium firmissimumque habet de qualibet veritate judicium, secus Omniscius certe non esset: at inde procul dubio minime sequitur, voluntatem Divinam necessariam semper esse; sed tantum necessario approbare quae bona sunt, et odio habere quæ mala. At in eo Divina stat libertas, quod ex bonis eligere possit quod magis lubet; ex malis vero aliquid justa de caussa in Mundo permittere. Haec autem necessitas adprobandi quod bonum est, ac repudiandi quod malum est, habet Divina voluntas etiam circa praecepta secundae tabulae; cum nequeat justus, incontaminatus, atque beneficentissimus Deus non odisse iniqua, inhonesta, et male facta, sicut recta ratio, rationalis creaturae natura, atque perfectissima ejus attributa postulant. Cum igitur necessitas haec non sit, nisi ex *suppositione*, ut dialectici loquuntur, nimirum supposita institutione creaturæ rationalis; ac promulgatione Legis naturæ, in cordibus hominum, etsi velit Deus illam necessario servari; nulla injuria Dei libertati efficitur, necessitas

nulla Divinae Voluntatis laesiva circa actus humanos imponitur.

§. 91. *Contra.* Atqui si praecepta secundae tabulae sunt indispensabilia, et voluntas Divina necessario amare debet bonum, repudiare malum, jam circa actus humanos necessitatur necessitate ejusdem læsiva; ergo n. r. Prob. subs. Si Voluntas Divina necessario amare debet bonum, repudiare malum, in secunda tabula erga creaturas expressum, jam auferre non posset rationem debiti, quae fundatur in dependentia unius Creaturae ab altera. Sed hoc est si quod maxime Divinae libertatis, ac Voluntatis laesivum; Ergo etc.

§. 92, R. 1. per instantiam. Ex praeceptis secundae tabulae mendacium per adversarios est absolute indispensabile, quia intrinsece malum, utpote rectae rationi oppositum; nec tamen per ipsos Divina Voluntas circa actus humanos necessitatur: ergo pariter homicidium, adulterium, furtum, quia intrinsece mala, et rectae rationi opposita, erunt absolute indispensabiliter; quin exinde sequatur Dei libertatem laedi, Divinam Voluntatem circa actus humanos necessitari. Sed directe in forma

§. 93. R. 2. dist. sequelam maj. jam auferre non posset, praesupposita præsenti institutione creaturae rationalis, c. maj; secus, n. maj. min., et consm. Utique Deus, quia omnipotens est, absolute potest auferre a creaturis rationem debiti, quæ fundatur in dependentia unius creaturae ab altera; cum possit homines absque Parentibus condere, ut a Mundi exordio fecit. Sed posita nunc generatione Parentum, efficere nequit, ut filii, filii non sint, nec genitoribus honorem exhibere debeant in iis, quae cum religione, et Dei cultu non pugnant. Hinc cum necessitas ista non sit, nisi *ex suppositione*, ut superius dicebamus, non laeditur Divina libertas, Dei Voluntas non ita necessitatur, ut injuria aliqua

ipsi inferatur ex eo, quod secundae tabulæ praecepta indispensabiliter esse dicantur, atque Voluntatem Divinam necessario amare bonum, repudiare malum; cum possit semper ex bonis, quod magis lubet, eligere, ex malis etiam aliquid rationabili caussa permittere. Neque igitur Deus ipse absoluta etc.

CAPUT V.

Expenditur an dari possit ignoratia invisibilis juris naturæ.

§. 94. *Animad*: Ius naturale tripliciter spectari potest; Et primo quidem in suis principiis per se notis; quæ nimirum cuilibet rationis compoti obvia per se sunt; ut hæc: *Bonum est amandum, malum fugiendum; Parentes honorandi; Quod tibi non vis alteri ne feceris*; etc. cetera hujusmodi, quæ ex ipsis terminis notissima sunt, et adeo conformia, et quasi adæquata naturali inclinatione rationis ac voluntatis, ut tergiversationem nullam admittant. Hinc mortalium nullus, nisi pueri ante usum rationis; homines cum cognoscendi impedimentis nati, ut dementia ac furore; homines adulti aut actu amentes, aut febri delirantes, aut auctu ebrii, principia ista juris naturalis, ex terminorum perceptione, apprehendere nequeunt. Nullus adeo barbarus adest, qui si rationis usum habeat, non cognoscat, illud quod est necessario bonum esse amandum, malum autem fugiendum, Deum esse colendum, parentes honorandos, nemini faciendum esse quod sibi quisque fieri non vult. Secundo spectat jus naturale in conclusionibus, quae licet per se clare minime sint, tamen in praedictis principiis perspicue continentur, atque ex iis proxime deducuntur, ut: *Non assumes* e. g. *nomen Dei in vanum; non occides, non mœchaberis, non furtum facies, mendacium aut falsum testimonium adversus alterum non dices*,

et cetera Decalogi praecepta. Tertio tandem spectatur jus naturale in remotioribus conclusionibus, quae sunt præcepta quaedam obscure admodum in dictis principiis, proximisque conclusionibus inclusa, quaeque ex iis nonnisi difficili, ac longa ratiocinatione a sapientibus deduci queunt; uti sunt *usura*; *Matrimonii indissolubilitas*, et alia complura, circa quae ipsi Ecclesiae Doctores, inter se invicem dissentiunt.

§ 95. Quod hic ergo examinandum suscipimus, est, num hominum aliquis sui compos, aliqua principia Legis naturae, prout supra descripsimus, invincibiliter ignorare possit? Circa quod variae sunt.

Theologorum sententiæ.

§. 96. Existimant Theologorum non pauci, dari non posse Legis naturæ invicibilem ignoratiim, nec etiam quoad remotissimas consequutiones. Inter quos eminet erudissimus Praesbiter Ballerinius Veronensis in confutatione Epistolae Pauli Segneri (Cap. V., et in Epistola 1. adversus Anonymum dissertatorem). Alii putant quoad conclusiones nedum proximas, sed etiam remotas tantum, non vero quoad principia generalia Legis naturae dari posse in aliquibus quorumdam ex iis praeceptis invincivilem ignorantiam. Verum communis sententia est, dari posse in aliquibus hominibus invicibilem ignorationem quoad remotas tantum conclusiones. Sed quoad prima principia, et proximas eorum conclusiones neminem, qui sit compos, invicibili ignorantia laborare posse substinent: cum quibus sit.

PROPOSITIO

Nullus hominum sui compos laborare potest invincibili juris naturae ignorantia, quoad prima generatia principia, et proximas eorum conclusiones; non vero quoad particulares remotiores conclusiones, quae possunt ab aliquibus invincibiliter ignorari.

§. 97. Prob. I. Nam ut aliquid invincibiliter a quopiam ignoretur, ejusmodi sit oportet, ut morali omni diligentia, atque inquisitione adhibita, sive communibus nostrae, vel gratiae auxiliis cognosci ab eo, et deprehendi non possit. Atqui prima juris nostrae principia adeo per se obvia cuilibet sunt, atque ex ipsis terminis clarissima; sicut et proximae eorum conclusiones, quae necessaria illatione ex ipsis deducuntur, vel adeo per se patentissimæ sunt, vel in iis ita perspicue contenta, ut mediocri cum diligentia adhibita possint ab unoquoque cognosci: nam etiam gentes nullis legalibus graeceptis imbutae, ut ait Apostolus (ad Rom. II. v. 14. et 15.) naturae legem, generalia illa principia, proximasque eorum conclusiones solo illo, quod signatum est super nos Dei lumine, agnoscunt; atque observant. En ejus verba, quae citato loco habentur: *Quum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Immo subjungit, Gentiles contra Legem naturae peccantes, dignos esse morte, inexcusabiles esse, ac perituros. Hinc S. Augustinus (Psal. 116.) « Nullus est; ait, qui faciat injuriam » alteri, nisi qui sibi fieri nolit: etenim in hoc trans- » greditur naturae legem, quam non sinitur ignora-

» re, dum id facit, quod non vult pati. Et in 22.
» Conf. cap. IV. furtum punit lex tua, domine, et
» lex scripta in cordibus hominum, quoniam nec
» ipsa delet iniquitas. Quis enim fur aequo animo
furem patitur? adeoque nulla est anima, quamvis perversa, quae tamen (ita concludit ipse S. Doctor ex Apostoli verbis lib. 2. serm. Dominic. in Matth. cap. 9.) ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus. Nemo ergo sui compos intimam hanc supremi Numinis ad singulorum conscientiam allocutionem, proprii animi testimonium, insitam cordibus nostræ legem invincibiliter ignorare potest, quoad prima generalia principia, et proximas eorum conclusiones.

§. 98. Prob. secunda pars. Conclusiones remotiores sunt praecepta quaedam admodum obscura, quæ nonnisi difficili, ac longa ratiocinationum serie a principiis, per se notis, et generalibus conclusionibus deducuntur, ut usurae, ex gr. prohibitio, uxorum pluralitas, matrimonii indissolubilitas etc., quae sine dubio ignorantur ab homnibus indoctis, tardioris ingenii, ac subinde ad longum discursum incapacibus, consuetudine, atque aliorum exemplo praeoccupatis; ab iis denique ignorantur, qui occasionibus carent, et opportunitatibus comparandæ illorum notitiae: adeoque ab istis saltem naturae Lex quoad particulares remotas conclusiones invincibiliter ignorari potest. Deinde particulares istae, ac remotae conclusiones, cum obscurae admodum in generalibus juris naturalis principiis contineantur, etiam a Theologis quibusdam ignorari possunt, cum non una, eademque sit apud ipsos illatio ex illis orta principiis. Atque hinc est, quod apud Theologos quosdam de aliquibus praeceptis minus, quam de aliis constet, quae ex naturalis legis principiis deducuntur, quia conclusio, quo magis a principiis distat, eo minus est evidens, sic e. g. ex hoc principio: *quod tibi non vis, alteri ne feceris*, evidentissime quidem infertur: ergo

falsum testimonium adversus alterum proferri non debet, non ita tamen evidentur eruitur: ergo, *falsum testimonium proferendum non est pro propria vità tuenda.* Item ex eodem principio sequitur evidenter, et immediate; ergo, *non est furandum*; non enim pari evidenda infertur; ergo, *pecunia non est danda ad usuram.* Hinc quoque est, quod nonnulli Theologi dixerunt, aliquo in casu mentiri, ac fœnerari licitum esse; quamvis haec duo, proferendum non esse mendacium, sive falsum testimonium, etiam ad vitam hominis conservandam, et dandam non esse pecuniam ad usuram, tamquam præcepta legis naturae aequaliter sint habenda, ac ea ex quibus ipsa descendunt. Tandem nonne praecipua Ecclesiae, et Scholarum lumina, Thomas scilicet, et Bonaventura in multis ad naturae legem pertinentibus inter se dissident? ergo erravit alteruter. Agedum, errores isti vincibiles ne fuerunt, an invincibiles? Si vincibiles atque, culpabiles; ergo graviter peccavit alteruter. Gravis enim culpa est, culpabiliter errorem circa Divina praecepta docere. Cumque eorum neuter ullam ex iis opinionibus usque ante obitum retractaverit, in iis peccatis alteruter est; adeoque aeternis suppliciis mancipatus; ac per consequens immerito in sanctorum numerum relatus; quae cum impia, absurdissimaque sint consectaria; dicendum errores illos fuisse invincibiles; adeoque dicendum, posse naturae Legem, quoad remotas conclusiones invincibiliter ignorari; et consequenter probatum manet, quod nullus hominum etc.

§. 99. *Dices.* 1. Si prima principia Legis naturæ, atque proximæ, quæ ex ipsis deducuntur conclusiones invincibiliter ignorari non possent, Deus ea in tabulis lapideis non scripsisset; Atqui scripsit; Ergo etc.

§. 100. R. Deus non ideo scribere fecit in tabulis lapideis prima Legis naturæ principia, et proximas, quae ex illis deducuntur Conclusiones, quia

homines illa invincibiliter ignorare poterant, sed ut homines ad Legis naturæ transgressionem jam proni effecti, pænarum metu, coercerentur, et exterius quoque audirent, quod interius legere nolebant. « Homini, ait S. Bonaventura (In III. dist: 37. art: » 1. q.: 3.), ab initio creationis suae lex naturæ » indita fuit sine scripto; quia tamen scriptura cor- » dis interior propter peccatum erat obnubilata, et » homo, qui fuerât spirituali mente præditus, effectus » erat sensibilis, et carnalis, opportunum erat, ut » exterius legeret, et audiret per sensus corporis ea » per quæ posset in rectitudinem justitiæ regulari. » Et ideo explicatio, et distinctio mandatorum De- » calogi spectabat ad Legem scriptam, quamvis ob- » bligatio spectaret ad legem inditam, scilicet natu- » ralem ».

§. 101. *Dices.* 2. Concupiscentia tum uxoris, tum rei alienæ, sicuti furtum, et homicidium primariis naturae legibus adversantur; suntque conclusiones, quae ex generalibus juris naturae principiis proxime deducuntur; Atqui de facto ignoratum est, haec esse mala, antequam Lex scripta promulgaretur; Ergo dari potest ignorantia invicibilis etc. Prob. min. Apostolus ad Romanos scribens de seipso dicit (Cap: VIII: v. 7.): *Peccatum non cognovi, nisi per Legem; Nam concupiscentiam rsciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces.* Ergo antequam Lex scripta daretur, nesciebat Apostolus, concupiscentiam esse peccatum.

§. 102. R. explicando Apostoli verba. Laudato in loco Apostolus citatus, ait S. Bonaventura (ut » supra) loquitur in persona hominis carnalis, aut » certe hoc dicit quia, etsi alioquo modo nosset per » Legem naturae in generali, non tamen in speciali » cognoscebat, nisi per Legem scriptam; unde ipse- » met idem dicit, quod per Legem est cognitio pec- » cati, propterea ex verbo illo non habetur, quod » obligatio hujusmodi mandatorum ortum habeat a

» Lege scripta, sed solum quod ipsius obligationis » explicatio in lege illa sit facta.

CAPUT VI.

De Lege Divina positiva.

§. 103. *Animad.* Legis positivæ nomen dupliciter sumi potest *collective* nempe, et *communiter*. Sumptum communiter significat quamlibet peculiarem Legem, juxta datam legis definitionem (§. 64.), talis est lex non occidendi, non furandi etc. Sumptum vero *collective*, collectionem significat plurium particularium Legum, quae, ab uno Legislatore suis subditis constituta est, et hoc sensu Legis Dei positivae nomen usurpamus; Itaque.

§. 104. *Def.* 1. *Lex Divina positiva est, corpus juris, seu plurium particularium legum aggregatio, a Deo libere facta, homini data, præscribens quid agendum ab eo sit, vel omittendum, ut finem suum supernaturalem apte consequatur.* Eaque duplex est; *Vetus* nempe, et *Nova.*

§. 105. *Def.* 2. *Lex Vetus* (1), de qua solum in praesenti capite agimus, *est illa quæ Moysi primum data fuit, et a Moyse Israelitico Populo ad observandum proposita, et inculcata.*

§. 106. *Schol*: Quaeri solet hic, an ante Legem Mosaicam; post Adami lapsum, aliqua extiterit Divina Lex positiva. Alii affirmant, negant alii. Verum ambo conciliari posse existimo. Et quidem, si Legis nomen sumitur *communiter* (§. 103.), certum est, ante Legem Mosaicam, post Adami lapsum nonnullas positivas Dei Leges extitisse. Nam Lex ex-

---

(1) Alias *Lex Moysis*; *Lex Veteris Testamenti*, vel *Lex* simpliciter.

titit de remedio peccati originalis; Lex de secernendis animalibus mundis ab immundis pro usu sacrificiorum; Lex de non comendenda carne cum sanguine, et Lex Circumcisionis. Si vero sumitur *collective*, uti Lex Mosaica (§. 105.), indubium est nullam tunc hujusmodi Legem extitisse. Unde status ille a lapsu Adami usque ad Legem Moysi datam, status Legis naturæ vulgo appellatur; et Patres, atque Theologi Legem Divinam positivam dividentes, in *Veterem*, et *Novam* dispescunt. Quid porro de Veteri Lege dicendum

Dissidium est inter auctores.

§. 107. Veterem Legem non bonam, sed malam fuisse impie blasphemarunt Cajani, Marcionitae, Manichaei, et alii non pauci trium priorum saeculorum idque duplici de causa, et quia nempe (ut opinabantur) non a Deo bono, et Patre Domini nostri Jesu Christi, sed a malo principio, uno de principibus tenebrarum data fuit, et quia praecepta non bona hominibus observanda proponit. Catholici, eam et bonam, et a Deo bono latam fatentur, discrepant vero quoad aliqua, quae ejus promulgationem, et obligationem respiciunt. Irenæus, Justinus, Athanasius aliique antiqui Patres, qui ante S. Augustini tempora vixerunt, opinati sunt, veterem Legem a Verbo Divino, sub humana forma apparente, Moysi datam fuisse. Omnes fere alii, post S. Augustinum, tenent Moysen eam, Angelorum ministerio, accepisse. Putant alii, Legem veterem omnes omnino homines obligasse; tuentur alii eam non obligasse, nisi solos Israelitas. Quid sequendum sit, ex subjectis propositionibus, patebit.

PROPOSITIO I.

Lex Vetus a Deo bono et Patre Domini nostri Jesu Christi data fuit.

§. 108. Prob. 1. p. Lex Vetus a Deo data fuit; Sed unicus est Deus, neque ullus alius præter ipsum dari potest (§. 37. T. III.), isque est infinite bonus (§. 97. ib.); Ergo lex Vetus est a Deo bono. Deinde, Lex Vetus a Jesu Christo mandatum Dei appellatur: dixit namque Pharisaeis (Matthaei Cap. XV. v. 6.): *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*; Sed Dei mandatum, Christus Legem veterem non vocasset, si ea non a Deo vero, et bono data fuisset; neque Judaeos reprehendisset, quod eum irritum fecerunt; Ergo etc. Hinc merito Toletana Synodus (In Confess. fidei.) decrevit: *Si quis dixerit, vel crediderit alterum Deum esse primæ Legis, alterum Evangeliorum anathema sit* (1).

§. 109. Prob. 2. p: In Actis Apostolorum (Cap. III. v. 18.) ita loquitur S. Petrus: *Deus quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum filium suum; et implevit.* Apostolus ad Romanos scribens (Cap. I. v. 1.), ita incipit, *Paulus vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis de Filio suo*; (Cap. V. v. 2.): *Multifariam*, inquit, *multisque modis Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Deus ergo qui dedit Legem, et per Patres, et Prophetas locutus est, est Pater Domini nostri Jesu Christi. Adeoque etc.

---

(1) Berti Lib. XV. Cap. VI. Prop. I.

Solvuntur Objectiones.

§. 110. *Objic.* 1. Scripturae sanctae aperte affirmant, veterem Legem minime verum Deum auctorem habuisse; ergo nulla concl: Prob. ans. Joan. 2. habetur: *Lex per Moysen data est*; et cap. VII. subjungitur: *Nonne Moyses dedit vobis Legem?* Quibus positis, en argumentum: Ex Scripturis, qui dedit Legem judaeis, fuit Moyses; ergo Scripturae sanctae etc.

§. 111: R. dist. antec. Ex Scripturis etc. tanquam Legis Promulgator, c. ans; tanquam Legis Auctor, et institutor, n. ans, et consam. Itaque cum Scriptura veterem Legem a Moyse Hebraeis datam fuisse affirmat, Moysen ipsius Auctorem non declarat, sed tantum ejus Promulgatorem. Ait siquidem, Legem per Moysen datam esse, idest non per alium promulgatam, sed per Moysen, tanquam caussam instrumentalem; institutam vero a Deo. Atque Scriptura ipsa sit sui ipsius interpres. Lucae enim II. sermo habetur de purgatione mulieris post partum in Mosaica Lege praecepta, et ideo v. 22. dicitur: *secundum Legem Moysi;* at quia praeceptum hoc ipse Dominus tulerat, ut ex Levitici cap. XII. constat, ne indigitare videretur, Moysen Legis illius Auctorem, statim subjungit; *sicut scriptum est in Lege Domini.* Hinc Moyses ipse se Legis Promulgatorem tantum Exodi 24 fatetur, ubi sic loquitur: *Moyses . . . . narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia: responditque populus una voce: omnia verba Domini, quae locutus est, faciemus.* Et Deuter. VI. sic habetur: *Hæc sunt præcepta, et cæremoniæ, atque: judicia, quae mandavit Dominus vester, ut doceam vos.* His adde, quod Moyses in cujuslibet Legis promulgatione semper praemittat: *Haec dicit Dominus. Locutus est Dominus cunctos sermones hos. Locutusque est Dominus ad Moysen.* In Scripturis ergo

Moyses Legis Promulgator indigitatur, non Legislator, ut Adversarii contendunt.

§. 112. *Contra.* Atqui in Scripturis Lex, data dicitur per Moysen, tanquam Legislatorem; ergo n. r. Prob. subs. Laudatis Scripturae locis, Moyses Legislator indigitatur, si ex Scriptura ipsa, Moysen Legis praecepta pro arbitrio tulisse constet. Sed hoc ex Scriptura liquet; ergo etc. Prob. min. Prececeptum de leproso coram Sacerdote praesentando; et mandatum repudii (Matth. XIII v. 4., et XIX. v. 8.), Moysi a Christo Domino adscribuntur, non Deo: ergo ex Scriptura ipsa liquet, Moysen Legis praecepta pro arbitrio tulisse; adeoque etc.

§. 113. R. dist. ans. Præceptum etc. quatenus Deo jubente, et præscribente erant a Moyse promulgata, c. ans, quatenus erant propria auctoritate lata, n. ans, et consm. Si quidem Hebraeorum Legislator Moyses dicitur, ideo tali nomine in Scriptura vocatur, quia eorum Legis fuit Promulgator, nec alterius hominis manu, vel ore ipsa Lex conscripta fuit, vel prolata. Qui loquendi modus sacris Scripturis est familiaris; sic (ad Gal. III. v. 17.) Lex ratione solemnis promulgationis *dicitur lex facta*: licet ante Moysen erant Sabbatum, Circumcisio, Sacrificia, et multa alia caeremonialia: quam phrasim sequitur etiam decretum Gratiani dist. IV., ubi sic habet: *Leges instituuntur, cum promulgantur.* Quod autem laudatae Leges reipsa a Deo latae fuerint, et per Moysen promulgatæ, cuique Sacram Scripturam perlegenti, aperte patebit. Et re quidem vera, Legem de leproso mundato (Matth. VIII. v. 4.) commemoratam, Deum habere Auctorem, ex Levitico (Cap. XIV. v. 2. et seq.) liquet, ubi sic legitur: *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Hic est ritus Leprosi, quando mundandus est; adducetur ad Sacerdotem, qui . . . . præcipiet ei . . . ut offerat duos passeres vivos pro se* etc. Alteram pariter de repudii libello a Deo institu-

tam fuisse, ex Deuter. XXIV. patet, ubi Domino jubente, sic Moyses prosequitur. *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem; scribet libellum repudii, et dabit in manum illius, et dimittet eam de domo sua.* Si igitur Deus laudatas Leges tulit, atque Moyses eas tantum promulgavit; ex quo *antonomastice* Legislator dicatur, non sequitur ipsum, propria auctoritate, ipsas emanasse.

§. 114. *Contra.* Atqui Christus Dominus, laudato in loco, repudii saltem libellum Moysi adscribit, non quatenus Promulgatori, sed quatenus Legislatori; ergo n. r. Prob. subsm. Christus Dominus laudato in loco postquam dixit: *Non licere homini dimittere uxorem, quia quod Deus conjunxit homo non separet*; inquirentibus discipulis: *Quid Ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?* sic respondit: *quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vostras*; *ab initio autem non fuit sic.* Quibus positis, sic argumentum instauro: Christus Dominus reipsa repudii saltem libellum Moysi tanquam Legislatori tribuere dicendus est, si ad judaeorum duritiam coercendam, divortium Moysen tantum, non autem Deum permisisse fassus sit. Sed hoc dixisse Christum, ex praemissis Scripturae verbis apertissime constat; Ergo Christus Dominus laudato in loco etc.

§. 115. R. dist. Maj. Christus Dominus etc:, si ad judaeorum duritiam coercendam Moyse jubente, ac praescibente divortium permisisse etc., c. maj; Moyse jubente, Deo autem praescribente, n. maj., et concessa min. in sensu distinctionis, n. consam. Id unum dubio procul adducta Scripturae verba ostendunt, Moysen scilicet illius Legis fuisse praeconem tantum, minime vero illam propria auctoritate instituisse. Id enim certo certius persuadent cum superius laudata Scripturae loca, quae universam Legem Deo refer-

runt, ne quidem divortii mandato excepto, ut Deuter. XXIV. habetur, cujus loci verba in data responsione retulimus, tum et illa rigidior Moysis religio, qua ne minimum quidem mandatum, privata auctoritate, et Deo inconsulto Israelitis praescribere ausus est. Hinc (Numer. XV.) religiosissimus Dei Minister, ut nihil se ex arbitrio suo, sed omnia de mandato Dei annuntiare demonstraret, Deum consulit, ut quid de viro, qui ligna die Sabbati collegerat, statuendum esset, indicaret. Praeterea si Moyses ipse repudii Libellum instituisset, sequeretur, ipsum propria auctoritate facultatem dedisse legitimum Matrimonium ratum, et consumatum dissolvendi, quod nullus hominum propria auctoritate relaxative efficere valet: *Quod enim Deus conjunxit*, ait Christus Dominus, *homo non separet*; ac proinde libellum repudii, non a Moyse, sed a Deo concessum est. Nec vis ulla est in verbis illis: *Moyses mandavit*, *Moyses permisit*. *Moyses dixit*; perinde est enim ac si diceretur, Moyse jubente, praescribente autem Deo, mandavit, dixit, permisit. Nam si inde inferre liceret, Moysen hujus mandati fuisse auctorem, cum liceret inferre auctorem esse Decalogi, quod ne ipsi quidem Adversarii volunt. Nam Marci VII. Christus judaeos arguens, quod propter suas traditiones servandas irritum facerent Dei praeceptum, ait: *Moyses enim dixit*, *honora Patrem*, *et Matrem tuam*. Sicut ergo ex quo hoc in loco legitur: *Moyses dixit*; Moysen Decalogi auctorem fuisse per Adversarios minime deducitur; ita pariter ex quo Matth. XIX. Legatur, *Moyses mandavit*, *Moyses permisit dimittere uxores*; Moysen propria auctoritate, et ex arbitrio praeceptum de libello repudii instituisse, minime est deducendum.

§. 116. Neque dicas, nunquam Deum hanc facultatem dimittendi uxores hominibus dedisse, cum ipse Christus subjungat: *ab initio autem non fuit sic*;

Nam licet ab initio Deus hanc facultatem hominibus non fecerit, ut cum vellent impune dimittere uxores suas, libellum darent eis, quas dimitterent; non inde tamen sequitur, Deum non potuisse postmodum hanc facultatem ad cordis duritiam concedere. Ut enim ait Alensis art. 2. ad quintam: « *data est lex duris in » flagellum; ut eos puniret* infligendo pœnas, et sub- » trahendo delectabilia, et quantum ad hoc dedit Lex » libellum repudii, quod est in Lege per permissionem » ut ipsos duros scilicet, et perversos a malo subtra- » heret, quia proni erant ad interficiendum uxo- » res suas: idcirco ut flagellaret eos in hoc, ordina- » vit, quod non liceret eis iterum assumere uxores » postquam libellum repudii eis dedissent ». Quæ cum ita sint, nullum certe lapidem contra nos adductum momentum movet.

§. 117. *Objectio.* 2. Lex illa Deum non habet auctorem, quae ex se, homines salvare non valet, et est moraliter etiam impossibilis. Atqui Lex vetus homines salvare non poterat, atque tale jugum erat, *quod*, ut ait (Act. XV.) Apostolorum Princeps, *neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*; ergo Lex illa Deum non habet auctorem.

§. 118. R. 1. per instantiam. Lex illa Deum non habet auctorem, quae homines ex se nullo modo salvare valet, et est moraliter saltem impossibilis; Atqui ipsa etiam Lex naturalis, homines per se salvare nequit, et absque divina gratia, jugum est nimis importabile; ergo Lex quoque naturalis neque Deum habet auctorem. Sed directe.

§. 119. R. 2. dist. min. Atqui Lex vetus etc; absque divinae gratiae auxilio, conc. min; posita Dei gratia, n. min; et consm. Loquitur itaque Apostolorum Princeps de Lege veteri in se spectata, quæ innumera praeceptorum multitudine homines obruebat, et eos praesertim, qui promulgato jam Evangelio, Legem necessariam esse contendebant; atque

istos nec salvare poterat; neque videbatur ipsis Lex dulcis, sed importabile jugum, quia, ut habet Apostolus (ad Gal. V.) a gratia Christi exciderant: *evacuati estis*, sic eos Paulus alloquitur, *a Christo, qui in lege justificamini a gratia excidistis*. At posita Christi gratia, homines salvare valebat, neque tam nimis importabile jugum videbatur. Siquidem plures in Veteri Lege Patriarchae, et Prophetæ, variique homines salvati sunt, atque justi ante Deum extitere, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini, ut de Zacharia, et Elisabeth (Lucæ I.) dicitur; iisque mandata Dei non extitere gravia, sed dulciora super mel, et favum, ut de seipso Regius Psaltes (Psalmo XVII.) testatur. Quamvis tamen omnia hæc fidei in Christum venturum erant adscribenda, et gratiae Novi Testamenti, quæ ex Augustino, in veteri Testamento sicut frumentum in palea occultabatur. Hinc lib. III. ad Bonifacium cap. III. ait, justos, qui sub veteri Lege vixerunt, licet non nomine, revera tamen fuisse Christianos: « Veteres quidem (verba ejus sunt) Testamenti dispensatores et gestatores, sed novi demonstrantur hæredes. Nondum nomine, sed reipsa fuerunt Christiani ». Quamvis ergo Lex vetus, in se spectata, homines nedum salvare nequibat, sed videbatur quoque ipsis importabile jugum; posito tamen divinæ gratiæ adjutorio, et homines salvabat, et minus grave jugum ipsis videbatur.

§. 120. *Contra*. Ex concessis, Lex vetus ex se, et absque divinae gratiae auxilio jugum erat importabile, nec homines salvare poterat; Ergo, ex concedendis, nullo modo id præstare valebat. Prob. consa. Ut homines tunc sub veteri Lege salvarentur, debebant ex concessis, divinae gratiae auxilio, Legis praecepta servare; Sed Lex, illa gratia ad illius observationem necessaria, carebat; ergo nullo modo etc.

§. 121. R. dist. min. Sed Lex illa etc. Quae per Legem dabatur, conc. min; quæ una cum lege con-

ferebatur, n. min; et consm. Allucinatur itaque cum Quaesnello Jansenius, cujus est argumentum, dum veterem Legem, gratia omnino carere adfirmat. Hominibus siquidem sub Lege veteri constitutis, gratia non deerat, quae licet per Legem non daretur, una tamen cum Lege conferebatur vi meritorium Christi, quem tunc venturum praenuntiabat. Hinc *bibebant de spirituali*, inquit Apostolus (ad Corinth. Cap. X); *consequente eos petra, petra autem erat Christus*. Hinc cum aliis SS. Patribus Angelicus docet (parte 2. q. 98. a. 2. ad A.) et sic egregie pro more suo loquitur: « Dicendum quod quamvis Lex vetus non sufficeret » ad salvandum hominem, tamen aderat aliud auxi» lium a Deo hominibus simul cum Lege datum, » per quod salvari poterant; scilicet fides Mediato» ris, per quam justificati sunt antiqui Patres, si» cut etiam nos justificamur: et sic Deus non de» ficiebat hominibus, quin daret eis salutis auxilia ». Licet ergo ipsius Legis vi, gratia ad praecepta implenda minime habebatur; sub Lege autem viris justis per fidem Mediatoris conferebatur; adeo ut salvari poterant, nec importabile jugum Lex ipsa illis videbatur.

§. 122. *Contra*. Atqui Lex vetus ita gratia ad ejus praecepta implenda necessaria carebat, ut gratiam quamcumque omnino excluderet; Ergo n. r. Prob. subs. D. Augustinus, quem alii etiam Patres sequuntur, de viris illis justis, qui sub veteri Lege vixerunt, sermonem faciens, distinguit inter esse sub Lege, et esse sub gratia. Sed nisi Lex vetus gratiam omnino excluderet, hanc distinctionem non fecisset; ergo Lex vetus ita etc.

§. 123. R. n. min. Nam esse sub Lege, est habere quidem gratiam ad Legem implendam, at non vi ipsius Legis, ipsam habere. Esse vero sub gratia, est habere gratiam, et quidem uberiorem; idque vi ipsius Legis gratiae, seu legis Christi. Hinc quia

antiqui Patres sub veteri Lege, non vi ipsius Legis, sed virtute fidei in Christum tunc venturum, gratiam accipiebant; nos vero, qui sub gratia vivimus, virtute ipsius Legis gratiae, seu Evangelicae, gratiam ad præcepta implenda accipimus; distinguit idcirco S. Doctor inter esse sub Lege, et esse sub gratia, non quia Lex vetus gratiam omnino excluderet, sed quia vi ipsius Legis, gratia minime tunc conferebatur. Et ex hoc veterem Legem relate ad Evangelicam fuisse imperfectam unice sequitur; neque Deum ipsam habere auctorem exinde dubio procul non deducitur.

PROPOSITIO II.

Lex Vetus fuit bona.

§. 124. Prob. Scribens S. Paulus ad Romanos ait (Cap. VII. v. 12.): *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* Et ad Timotheum (Epist. I. Cap. I. v. 8.): *Scimus autem ait, quia bona est lex, si quis ea legitime utatur*; Ergo etc. Deinde Christus Dominus inquit (Matth. Cap. V. v. 17.): *Non veni solvere legem, sed adimplere*; et (Lucæ Cap. XXIV. v. 44.): *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Atqui si Lex vetus non fuisset bona, Christus non venisset ad eam implendam, neque eam adprobasset; Ergo etc. Tandem Lex vetus a Deo bono et Patre Domini nostri Jesu Christi data fuit (§. 108. 109.); Atqui Deus bonus Legem malam hominibus dare nequit. Ergo etc. Hinc Præceptor Subtilis (In IV. Dist. XV. q. 3.): « Deus, ait, non fuit fatuus, ut daret illa » judicia contra rationem, licet dederit aliqua dura. » . . Et Lex Vetus non fuit mala, sed debuit Sy- » nagoga cum honore sepeliri, ut ostenderetur fuisse » bonam pro tempore suo ». Ergo etc.

Objectiones adversariorum solvuntur.

§. 125. *Objic.* 1· Lex Vetus abrogata fuit; Atqui abrogata non fuisset si fuisset bona, dicente Apostolo (Ad Hebræos Cap. VIII. v. 7.): *Si illud*, nempe Testamentum vetus, *culpa vacasset*; *non utique secundi locus inquireretur*; Ergo Lex vetus non fuit bona.

§. 126. R. Lex vetus abrogata quidem fuit per Legem Evangelicam quoad præcepta judicialia, atque cæremonialia, non quia erat mala, sed quia Judæorum populo data fuerat, solum pro eo tempore, quo Messias expectabatur venturus, et umbra erat, et figura eorum, quæ tempore Messiæ, et in Messia adimpleri debebant. Completo itaque eo tempore, et Messia in carne passo, cessarunt utique umbræ, cessarunt utique cæremoniæ Legis veteris, Lexque ipsa vetus per Legem veritatis, Evangelii nempe, abrogata fuit. Quod autem Paulus Testamentum vetus ideo abrogatum fuisse dicat, quia non vacabat culpa, hic non intelligit peccatum, quasi Lex et Testamentum vetus præciperent aliquod peccatum; Dixerat namque (Ad Rom. Cap. VII. v. 7.): *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit*, sed quia erat imperfecta; utpote quæ nec dabat virtutem ad purganda peccata commissa, dicente eodem Apostolo (Hebr. Cap. X. v. 4.): *Impossibile est sanguine hircorum, et taurorum auferri peccata*, nec gratiam adjutricem conferebat ad vitanda peccata, sed solum ad ea cognoscenda, ut ait idem Apostolus (Hebr. Cap. X. v. 4.): *Peccatum non cognovi, nisi per Legem.*

§. 127. *Contra.* Atqui ideo Lex vetus abrogata fuit, non quia erat imperfecta, sed quia malum præcipiebat, et ad malum impellebat; Ergo n. r. Prob. subsm. Res ita se habet si Deus ipse testatur, Legem illam a se datam, non bonam, sed malam fuis-

se; Atqui id testatur Deus, per Ezechielem Prophetam dicens (Cap. XX. v. 25.): *Dedi legem non bonam, et præcepta, in quibus non vivent*; Ergo etc.

§. 128. R. admitt. maj., et dist: min. Et laudata verba intelligenda sunt de Lege Dei, n. min.; de alia Lege ab illa Dei diversa, conc. min; Ergo etc., n. consm. Laudato in loco non loquitur Deus de Lege sua; de hac enim eodem in capite (v. 11.), jam dixerat: *Dedi eis præcepta mea, et judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, vivet in eis, sed de legibus iniquis tyrannicis, et impiis gentilium*, ait S. Hieronymus (In hunc loc.), *quibus Judæi, dispersi ac vagabundi propter suas iniquitates, justo Dei judicio, præmebantur.* Et sane, Legem illam non ait Deus se Israelitis dedisse cum primum exirent de terra Ægypti, et in monte Sina, sed cum vidit eos parvipendisse præcepta sua bona, et Legem suam violasse: ait siquidem (Ibid. v. 24.): *Eo quod judícia mea non fecissent, et præcepta mea reprobassent, et Sabbata mea violassent, et post Idola Patrum suorum fuissent oculi eorum*; Postea sequitur: *Ergo et dedi eis præcepta non bona*; Idest dare permisi præcepta non bona sed admodum mala, ait Tirinus (In hunc locum.) immo pessima, molestissima: difficillima, in quibus non vivent, sed morientur; quasi diceret: Meis præceptis vivere noluerunt: morientur ergo, et occidentur alienis, v. g. Ammonitarum, Moabitarum, Philistaeorum. Quod et illis evenit; ait namque David (Psalm. 105. v. 55. 56. 57.): *Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum, et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis.*

§. 129. *Contra.* Atqui non aliam Legem, sed veterem malam Israelitis dedit Deus; Ergo n. r. Prob. subsm. Inter alia, quæ Lege veteri præcipiebantur, pœna talionis recensetur; legitur quidem in Levitico (Cap. XXII. v. 19. 20.): *Qui irrogaverit maculam*

cuilibet civium suorum : sicut fecit, sic fiat ei. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. Atqui hæc Lex, ut mala, reprobata fuit a Christo, illis verbis (Matth. Cap. V. v. 39.): *Ego autem dico vobis, non resistere malo ;* Ergo etc.

§. 130. R. admitt. maj., n. min. cum consa. Lex talionis non mala fuit, sed bona; ipsa namque ait S. Augustinus (1): « non fomes, sed limes fu« roris est; non ut id quod sopitum erat hic accen» deretur, sed ne id quod ardebat, ultra extende» retur ; Est namque quædam justa vindicta, juste» que debetur ei, qui fuerit passus injuriam ». Quod si Christus in nova Lege vetuit ne id faceremus; hoc non fecit quia Lex illa non erat bona pro eo tempore, quo data fuit, et populo duræ cervicis, sed quia in Lege nova dilectionis, gratiae, et perfectionis, non amplius id fieri conveniebat.

§. 131. *Objic :* 2. Illa Lex non est bona, sed mala, quæ est inductiva ad peccandum; Atqui talis est Lex vetus, dicente Apostolo (Rom : Cap : V. v. 20.): *Lex subintravit, ut abundaret delictum* ; Ergo Lex vetus non est bona, sed mala; Adeoque etc.

§. 132. R. dist : maj : Illa etc :, per accidens, hoc est praebet occasionem peccandi, nego; est caussa impellens ad peccandum conc. maj : et dist, min :, inductiva ad peccandum, per accidens; hoc est præbet occasionem peccandi, conc., est caussa impellens ad peccandum, n. min ; cum consequentia. Ad peccandum, et peccati augmentum dupliciter aliquid concurrere potest, et ut *occasio* nempe, seu *per accidens*, et ut *caussa.* Porro in allato testimonio, Lex non dicitur caussa peccati, quia non est ipsa quæ peccatum operatur, aut vi sua producit, sed tantum occasio, quatenus quod antequam esset Lex, vel non

---

(1) Lib. XIX. contra Faustum Cap. XXV.

erat peccatum, vel uti peccatum non agnoscebatur, occasione vero Legis, peccatum esse dignoscitur: Audiatur Apostolus (Cap: VII. v. 6. 7.): *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per Legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret. Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.*

§. 133. *Contra.* Atqui Lex Vetus, non per accidens, et occasionaliter ad peccatum inducebat, sed ut vera efficiens caussa; Ergo n. r. Prob: subsm. Lex Vetus (Levit: Cap: XIX. v. 18.), jubet ut diligatur tantummodo qui amicus est: *diliges amicum tuum sicut scipsum;* quoad inimicos vero, permittebat Iudæis adversus eos hostile odium, juxta illud Christi Domini (Matth: V. v. 43.): *Audistis quia dictum est: diliges proximum suum et odio habebis inimicum tuum;* Atqui hoc peccatum est; Ergo.

§. 134. R. dist. maj. Lex vetus etc. permittebat judaeis hostile odium adversus alios homines, quatenus iniquos, conc. maj; quatenus homines, n. maj; et concessa min. in sensu distinctionis, n. consm. » Quilibet iniquus homo, ait S. Augustinus (lib. XIX. contra Faustum cap. 24.) huic argumento respondens, « in quantum iniquus est, odio ha-
» bendus, in quantum homo est, diligendus. Quia ergo
» audito, et non intellecto, quod antiquitus dictum e-
» rat, ferebantur in hominis odium, cum non deberent
» odisse, nisi vitium; et hoc Dominus corrigit dicendo:
» *diligite inimicos vestros.* » Quod autem ibi sermo sit de hominum vitio tantum, juxta Augustini mentem, non vero de hominum persona, quae jure naturae amanda est; luculentissime ex antecedentibus verbis patet: *non quæras ultionem, nec memor eris injuriae civium tuorum; diliges amicum tuum sicut seipsum.* Hinc cum temporibus illis tria alienigenarum genera extarent, scilicet Proselytorum, qui circumci-

sione judaejs se jungebant; Noachidarum qui Noë servabant praecepta; et Jololatrarum, qui se cultu superstitioso inquinabantur; prohibiti sunt idcirco judaei iis se adjungere, nec cum eis foedus inire, ne incesta eorum libidine, atque sacrilega superstitione contaminarentur, ut ex Levitici (cap. XVIII. v. 24.) liquet, ubi sic loquitur Dominus: *nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatae sunt universae gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum, et quibus polluta est terra, cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos.* Quae cum ita sint, veterem Legem, juris naturæ praecepta minime eradicasse, perquam clarissime constat.

§. 135. *Contra.* Atqui Lex Vetus, adeo ut vera caussa ad peccatum inducebat, ut idipsum quod in ea sanctum, et Deo acceptabile videbatur, peccatum erat, et opus Deo abominabile; Ergo a capite argumentum. Prob: subsm. Quae sanctiora in veteri lege habebantur erant certe oblationes, sacrificia, et holocausta; Atqui haec Deo placita non erant, imo potius odio, et abominationi, uti ait Apostolus ad Hebræos (Cap: X. v. 8·): *Hostias, et oblationes, et holocanstomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quae secundum Legem offeruntur*; Ergo etc.

§. 136. R. Cum sacrificia in veteri Lege fuerint a Deo ipso praescripta, atque ordinata, et quoad substantiam, et quoad modum, et quoad cæremonias, profecto bona fuerunt, et Deo accepta. Quod si Deo odiosa, et ingrata dicuntur; id est vel ex parte offerentium, qui erant immundi, et peccatores; uti videre est penes Isaiam (Cap: I. v. 11. et seq.), ubi ait Deus: *Quo mihi multitudo victimarum vestrarum? plenus sum: incensum abominatio est mihi etc; . . . cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt;* Vel respectu ad Sacrificia novae Legis. Cum namque sacrificia legalia nonnisi umbrae essent, et typi sacrificii veri Eucha-

ristici, per Christi mortem abolenda erant, uti jam abolita sunt; et non solum nullius sunt valoris, sed et mortifera reddita, Deo diplacentia, hominibus vero noxia. Sacrificia itaque veteris Legis bona fuerunt, pro eo tempore, pro quo data fuerunt; Adeoque bona etiam fuit Lex vetus, qua perdurante, mundo corde, et recta voluntate illa fuerunt oblata.

PROPOSITIO III.

Etsi Lex vetus fuerit bona in se, fuit tamen imperfecta respective.

§. 137. Prob. Lex vetus, adveniente Lege Evangelica, abrogata fuit; Ergo illa respective ad istam fuit imperfecta (§. 126.). Prob. consa. Apostolus ad Hebræos scribens, veritatem hanc manifeste docet; ait namque (Hebræo. Cap. VII. v. 18. 19.): *Reprobatio quidem fit præcedentis mundati propter infirmitatem ejus et inutilitatem: nihil enim ad perfectum adducit Lex.* Ergo etc. Deinde gratia, et veritas perfectiores sunt simplici Lege; Atqui *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum* (Joann. Cap. I. v. 17.); Ergo Lex data per Jesum Christum perfectior est Lege data per Moysen. Tandem justitia non est ex Lege, sed a Christo; qui (Epist. I. ad Corinth. Cap. I. v. 30.) *factus est nobis sapientia a Deo, et justitia* etc. Quare Apostolus (Ad Galatas Cap. I. v. 21.): *Si ex lege justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Sed Lex quae homines non justificat, imperfectior est Lege, quae justificat; Ergo Lex vetus etc.

PROPOSITIO IV.

Lex Vetus per Angelos Moysi data fuit, et per Moysen Israelitico papulo promulgata, et ad observandum proposita.

§. 138. Prob. In Actis Apostolorum de Moyse loquens S. Stephanus, ait (Cap. VII. v. 38.): *Hic est qui fuit in Ecclesia in solitudinem cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum Patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis;* et paulo post ait Judaeis (V. 53.): *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, et non custodistis.* Ergo etc. Deinde Apostolus ad Galatas scribens, ait (Cap. III. v. 19.): *Quid igitur Lex? propter transgressiones posita est, et ordinata per Angelos in manu mediatoris;* Moysis nempe, qui propterea ad Judaeos verba faciens, ait de seipso (Deuteron. Cap. V. v. 5.): *Ego sequester, et medius fui inter Dominum, et vos in tempore illo, ut annunciarem vobis verba ejus.* Ergo etc.

§. 139. *Dices* 1. Præcipuum fundamentum asserendi, Veterem Legem per Angelos Moysi fuisse datam, sunt loca illa Sacrae Scripturae, in quibus dicitur quod Lex Vetus per Angelos data, ordinata, atque disposita fuit. Sed hoc nullius est roboris; Ergo falsa propositio. Prob: min. Angeli nomen in Scripturis Verbo increato, filio Dei, tribui solet; Ergo divinum Verbum dedit Legem; Adeoque etc.

§. 140. R. dist: antec. Verbo uti Deus est, n. antec: , quoad humanam naturam, quam sibi in plenitudine temporum erat assumpturus, subd., tribui solet in numero multitudinis, n. ant., in numero singulari; subd: , cum aliquo addito extollente significationem vocis, conc: antec:; Ergo etc: n. consam. Nullibi Sacris in Scripturis invenitur, Verbum Divinum, uti Deus, est Angeli vocabulo appellatum, sed tantum

quoad humanam naturam, quam in plenitudine temporis suscepturus erat; idque numquam in numero multitudinis, sed in numero singulari, et cum addito, vocis significationem extollente; veluti cum dicitur *magni consilii Angelus*, vel consiliarius (Isaiæ Cap. IX.) *Angelus Testamenti* (Malachiae cap. III. v. 1.). Cum ergo Lex vetus per Angelum, sine addito, Moysi data dicatur, ut legitur in Actibus Apostolorum (Cap. VII. v. 30.): *Apparuit illi* (nempe Moysi) *in Deserto Montis Sinai*, vel per Angelos in numero plurali, uti habebetur (ibid: v. 38.): *Qui accepistis Legem in dispositione Angelorum*, clarissime patet, per Angelos, non per Verbum divinum, Legem Veterem Moysi datam esse; adeoque etc.

§. 141. *Dices*. 2. Ille qui dedit Legem Moysi, Dominus, et Deus appellatur; dixit namque (Deut: V. v. 6.): *Ego sum Dominus Deus, qui eduxi te de terra Egypti;* Ergo non Angelus, sed Verbum Divinum in humana forma dedit legem Moysi; Adeoque etc.

§. 142. R. conc. ant.: neg. consam· Recte Angelus qui Moysi loquebatur, Deus, et Dominus dictus fuit, quia vices Dei, et Domini gerebat, illiusque personam repræsentabat, atque Dei, et Domini præcepta tamquam illius praeco publicabat. « Cum » verba judicis, inquit *S. Augustinus* (Lib. III. » de Trin. Cap. V.), praeco pronuntiat, non scri» bitur in gestis, ille praeco dixit, sed iste judex: » sic etiam loquente Propheta Sancto, etsi dicamus » Propheta dixit, nihil aliud quam Dominum di» xisse volumus ». Aliam rationem affert S. Gregorius Magnus dicens (Praefat. in Lib. Job. Cap. II.) « » *Angelus*, qui Moysi apparuisse scribitur, modo » *Angelus*, modo *Dominus* memoratur. *Angelus* pro» pter hoc quod exterius loquendo serviebat: *Do» minus* autem dicitur, quia interius praesidens lo» quendi efficaciam ministrabat. Cum ergo loquens » ab interiori regitur, et per obsequium Angelus, » et per inspirationem Dominus appellatur ».

PROPOSITIO V.

Lex vetus, quoad præcepta moralia, omnes obligabat, quoad vero plenam ejus observationem, solos Israelitas.

§. 143. Prob. Lex vetus, quoad praecepta moralia, eadem est ac Lex naturae; etenim ut ait S. Augustinus (In Psalt. 50.): « Ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabu-» lis, quod in cordibus non legebant. Non enim et » scriptum non habebant, sed legere nolebant: Ap-» positum est cordibus eorum, quod in conscientia » videre cogerentur, et quasi forinsecus admota voce » Dei, et ad interiora sua homo compulsus est »: Atqui Lex naturæ obligat in conscientia omnes ad servanda sua praecepta (§. 75.); Ergo Lex vetus etc.

§. 144. Prob. 2. p. Lex eos solos ad sui obsertiam obligabat, quibus data est, et ad observandum imposita; Atqui Lex vetus solis Israelitis per Moysen data fuit, et ad observandum imposita (§. 138.); eis namque, ait Apostolus (Ad Roman. Cap. III. v. 2.): *credita sunt eloquia Dei*; et Deus, ut inquit Regius Psaltes (Psal. 147. v. 10.): *Non fecit taliter omni Nationi* (sicut fecit Nationi Israelitarum), *et judicia sua non manifestavit eis*; Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

§. 145. *Obijc*: 1. Semel dato, veterem Legem ad Judæos tantum pertinuisse, sequerentur melioris certe conditionis fuisse præ judæis Gentiles, quia ipsi sine gravissimo illo Legis jugo salutem adipisci poterant; Atqui recta ratio dictat, haud Gentiles melioris prae Judæis fuisse conditionis, cum isti dicantur *populus Dei, et populus electus, et hæreditas Dei*; Ergo etc.

§. 146. R. n. maj. Nam ex eo praesertim, quod Israelitæ legem habuerint a Deo, colligitur, ipsos melioris potius fuisse conditionis præ Gentilibus; non e converso. Non enim attenditur melioritas conditionis ex libertate a Lege, sed ex majori perfectione, et sanctitate status; licet illi adnectantur strictiores observantiæ. An non enim, quemadmodum recte arguit D. Thomas, (1. 2. q. 118. art. 5.) meliores putas Clericorum, ac Religiosorum, quam Laicorum, ac secularium status? Quam ob rem meliores? nempe quia tametsi illi longe pluribus teneantur praeceptis, tamen hoc ipso et majoribus meritis cumulantur, et dum pluribus carent impedimentis, quibus Laici obnoxii sunt, plura habent auxilia ad recte sancteque vivendum, atque hinc ad aeternam sibi vitam comparandam. Nihil ergo mirum, si Judaeorum prae Gentilibus meliorem fuisse conditionem dicamus. Nam quo pluribus mandatis adstringebantur, eo magis obedientia, eorumque observantia promereri poterant. Immo hoc ipso, impedimentis multis ac periculis reddebantur immunes, atque a superstitione in primis, et idololatria. Lex enim, homines tot ritibus, cæremoniisque ad veri Dei cultum spectantibus occupatos, perquam facillime ad multarum virtutum exercitium illicere poterat. Præterea Lege illa, quae umbris, ac figuris Christum venturum, ac futuram Ecclesiam signantibus erat referta, instar Pedadogi ad Messiam, ejusque fidem, veluti manu ipsi Judæi ducebantur, ut (ad Gal. III.) Paulus scribit: ac dum gravium saltem pœnarum timore a vitiis sceleribusque abstrahebantur, innumeris interim exemplis, atque virtutum incitamentis, nimirum tot praeclarissimis Patriarcharum, aliorumque suorum gestis, quae in sacris Libris posteritatis memoriae commissa legebantur; tot insuper aequalium, ac coevorum recte factis, quae partim audiebant, partim suis oculis videbant; virtutis amore, ac studio mirum in modum incendebantur. Quae quidem

etsi aliqua apud Gentiles quoque fuerint; tamen aut rara, aut saltem non ita frequentia extiterunt. Quibus omnibus fit, legislationem illam esse inter singularia Dei in Judaeos beneficia adnumerandam. Ex quo ergo ad Judæos tantum Mosaica Lex pertinuit, melioris certe condiditionis præ Judæis fuisse Gentiles, minime sequitur.

§. 147. *Contra.* Atqui posito, quod Lex vetus ad Judæos solummodo pertinuit, sequeretur absolute melioris condiditionis ex libertate Legis fuisse prae Judæis Gentiles; Ergo n. r. Prob. subs. Atque prius animadvertas queso, in responsione dixisse, Deum per Legem datam Israelitis, speciale privilegium, ac beneficium ipsis elargitum fuisse; ac proinde potius Judaeos, hac de caussa, prae Gentilibus melioris condiditionis fuisse, quam e converso. Nunc sit in forma argumentum. Aut dicendum, Gentiles ex libertate Legis melioris conditionis præ Judæis fuisse, aut Deum fuisse Personarum acceptorem est affirmandum. Atqui hoc secundum (ex Act. X. v. 34.) est si quod maxime absurdum; Ergo primum: adeoque posito etc.

§. 148. R. 2. maj. quoad utramque partem. Nam ex quo Lex Israelitis data singulare fuerit Dei in Judæos beneficium, atque privilegium, Judæis quidem melioris fuisse prae Gentilibus conditionis procul dubio infertur, ut paullo ante dicebamus. At ipsum supremum Largislatorem Deum, qui illam Judaeis, haud Gentilibus dedit, Personarum fuisse acceptorem, minime sequitur. Personas enim accipere, ex D. Thoma in citato loco, tunc solum dici quis potest, cum bona communia, ea non distribuit proportione, qua singulorum merita postulant; Sed unius potius, quam alterius ex arbitrio rationem habet. At qui suum ex propria liberalitate uni dat, et non alteri; is certe Personarum acceptor vocari nonnisi injuria potest, ut cuilibet luculentissime patet. Ceterum etsi Lex illa Judaeis data, ipsis utilis erat, et hypothetice neces-

saria ad aeternam salutem consequendam; aliis autem rationibus, ac seclusa Dei voluntate, nullimode necessaria erat; quia salvari poterant, observando dumtaxat Legem naturalem absque ulla Legis Mosaicæ observatione, ut patet de multis, et praesertim de Jobo, et Nahamano Syro, qui Legem naturalem tantum observando salvi facti sunt, ut omnibus notum est, atque perspicuum.

§. 149. *Contra.* Atqui si Lex vetus ad solos Judæos spectabat, tanquam singulare Dei in ipsos beneficium; eo ipso aut dicendum est, Gentiles melioris fuisse prae Judaeis conditionis; aut Deum Personarum fuisse acceptatorem adfirmandum; Ergo viget argumentum. Prob. subs. Nulla adsignari potest ratio, cur Israelitis potius, quam alteri Nationi Lex illa data fuit. Atqui nisi aliqua ratio adducatur, cur populus judaicus prae alio populo magis Deo acceptus fuerit, qui ex nullo ipsorum pracjacente merito singulari Legis beneficio meruit ditari, semper sequitur Deum Personarum fuisse acceptorem; Ergo si Lex vetus ad solos etc; quod absurdum est.

§. 150. R. n. maj. Atque principio quidem cum nos dicimus, Legem datam solis Israelitis fuisse, illud oportet Adversarii sibi in mentem revocent, quod ad Rom. XI. Paulus exclamat: *o altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei; Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus?* Deinde ab ipsis Adversariis vicissim petimus, cur Jacob præ Esau dilexit Deus? Profecto non ex operibus, sed ex vocante Deo dictum est ei, Rebeccæ scilicet: *quia Major* (Gen. XXV. 23.), *serviet Minori*, quod Apostolus etiam ad Rom. IX. v. 10. testatur. Porro eadem ratione Lex Judaeis potius data est, quam Gentilibus, *quia beneplacitum est Domino in populo suo* (videlicet judaico), quemadmodum Psal. 129. Regius vates cecinit. Verum ejus rei etiam ratio aliqua ex eo peti potest, primo, quia solus populus Ju-

daeorum unum Deum colens, dignus erat, cui crederentur eloquia Dei. Hinc licet in aliis populis personæ invenirentur Deo acceptæ, tamen nullus populus præ istud erat Deo perinde carus et dignus tam grande munus recipiendi. Cum Lex non pro particularibus personis statuatur, sed populo congregato, ac unito detur, et sub una consuetudine viventi. Deinde peti potest ex eo quod obediendo Abraham, ut par erat, primae gratuitae Dei vocationi ad fidem, potuerit hinc mereri *de congruo*, ut Christus ex se nasceretur; atque posteri ejus ad hunc finem convenienter disponerentur, ex ordinatione divinæ providentiæ per singulare illud peculiaris Legis, et cultus beneficium, quo et ornarentur, et custodirentur, et praepararentur insuper ad tam grande Dei munus suscipiendum. Quæ omnia illis Dei verbis: quia *fecisti rei hanc . . . . benedicam tibi, et multiplicabo* (Gen. XXII.) *semen tuum sicut stellas Cœli* etc. rectissime innuuntur. Ex quibus omnibus eruitur, præter solam Dei voluntatem, fuisse sufficientem aliquam rationem, qua Deus ad Legem Judaeis tantum dandam motus fuit. Ex quo igitur Lex vetus ad solos pertinuit Judaeos, minime sequitur, Deum Personarum acceptatorem fuisse; aut Gentiles ex libertate Legis melioris prae Judaeis conditionis extitisse: immo potius oppositum eruitur, ut hucusque est demonstratum.

§. 151. *Contra.* Ex concessis, una ex rationibus, cur Lex vetus Judæis potius, quam alteri Nationi ex mera Dei liberalitate fuit data, est, ut per eam ad futurum Messiam ex eis nasciturum ipsi disponerentur; ergo ex concedendis, ne Personarum acceptor dicatur, Deus, aut Gentiles ex libertate Legis meliores prae Judaeis fuisse conditionis, aut omnes omnino Nationes Legem illam obligasse est dicendum. Prob. consa. Salus illa per Christum futura, non solum Judaeos, sed omnes gentes respiciebat. Sed ex concessis, Lex vetus, quia disponebat ad salutem, quae futura erat per Chri-

stum ex Judaeis nasciturum, ideo singulari Dei beneficio ipsis solis data fuit; ergo ex concedendis hac eadem ratione Personarum acceptor etc.

§. 152. R. dist. maj. Salus illa etc., et aliunde oportebat ex uno populo Christum nasci, et hunc præ aliis ad ejus Fidem disponere, conc. maj; secus, n. maj; atque iterum concessa min; n. consm. « Quamvis ait S. Thomas 1. 2. q. 118. art. 4. huic argumento respondens, « salus futura per Christum esset omni-» bus gentibus praeparata, tamen oportebat ex uno po-» pulo Christum nasci, qui propterea hoc prae aliis » prærogativas habuit, secundum illud Rom. IX., *quo-» rum* (scilicet Judæorum) *est adoptio filiorum, et » testamentum, et legislatio, quorum Patres, et ex » quibus Christus est secundum carnem* ». Haec laudatus Doctor. Si igitur Christus ex uno populo (scilicet Judaico) erat nasciturus juxta Dei promissionem Gen. XXII. Abrahæ factam, licet salus per Christum futura omnes omnino populos respiciebat; necesse tamen erat, ut populus ille prae aliis nationibus sanctitate fulgeret, atque ad Christum Lege umbris ac figuris ipsum signantibus penitus referta, ut par erat, disponeretur. Ex quo ergo Lex solis Judæis, utpote ea ad Messiam disponerentur, data est, Deum Personarum fuisse acceptatorem, nonnisi injuria Adversarii inferunt; eo vel maxime quia Lex dari non debet personae, sed populo unito, ut dicebamus, et se ad Divinas revelationes suscipiendas praeparanti.

§. 153. Dices. Summo Regi Deo totius Orbis conditori omnes omnino populi subduntur: nulla namque gens est tam remota, aut barbara, quae natura eidem non subdatur. Sed Regis Lex cunctos obligat Regi subjectos; Ergo ne Personarum acceptator dicatur Deus, dicendum non Judæos solum, sed alias quoque nationes Legem illam obligasse.

§. 154. R. dist. min. Regis Lex etc. si ita Rex velit, conc. min; secus n. min; et consm. « Quicum-

» que, ait S. Thomas citato loco subduntur Regi, ob-
» ligantur ad Legem ejus observandam, quam omnibus
» communiter proponit: sed si instituatur aliqua ob-
» servanda a suis familiaribus ministris, ad hanc ce-
» teri non obligantur ». Hinc Deo volente, quemadmodum superius ex Scripturis demonstratum est, ut Mosaicae Legi Israelitae tantummodo subderentur; non potuit ea Lex ad alias quoque gentes, populosque pertinere, eo vel maxime quia solus populus judaicus eam merebatur, ut superius innuebamus. Neque exinde aut Gentiles ex libertate Legis melioris conditionis prae Judaeis; aut Deum Personarum fuisse acceptatorem unquam sequitur.

§. 155. *Objectio* 2. Deuteronomii XXVII. 26. absolute dicuntur maledicti omnes, qui erant extra Legem, his verbis: *maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus*. Ergo absolute Lex illa pro omnibus erat lata.

§. 156. R. dist. ans. Deuteronomii etc; et aliunde illa maledictio cadebat in solos, et omnes Judaeos Legis transgressores, conc. ans; cadebat in omnes omnino homines, n. ans, et cosm. Laudatum Scripturæ locum legentibus, patet per quam clarissime, nedum illam, sed et alias quoque maledictiones in citato Deuteronomii Capite expressas, solos respexisse Judæos, quando a Legis testamento ipsi recedebant. Illas enim in transgressores Judaeos publicabat Levita, enumerando singula Legis praecepta, ob quorum inobservantiam relativæ maledictiones infligebantur; atque ultima erat adducta in argumento maledictio, illis espressa verbis: *maledictus qui non permanet in sermonibus Legis hujus, nec eos opere perficit;* cuncto populo adprobante, ac respondente: *amen.* Ubi vides subsequentibus illis verbis: *nec eos opere perficit*, limitari maledictionem ad solos Judæos Legis transgressores. Si ergo non omnes Judaeos respiciebat maledictio illa, quomodo cadere poterat in Gentiles? Quomodo exinde

omnes nationes Legem illa obligasse Adversarii deducunt? certe non video.

§. 157. *Contra.* Atqui maledictio illa, nedum Judœos, sed et omnes omnino homines Legis transgressores respiciebat, quatenus Lex illa absolute pro omnibus erat lata; ergo n. r. Prob. subs. Sed prius animadvertendum est, communi Theologorum sententia, absurdum esse, nulli extra Synagogam salutis obtinendae spem fuisse; cum multi extra Synagogam salvi etiam reapse fiebant. Quo posito, en argumentum. Si maledictio illa solos Judaeos Legis transgressores respiciebat, quatenus ea Lex pro Judaeis solum erat lata; fit inde, extra Synagogam, nullam fuisse salutis obtinendae spem. Atqui hoc ex prænotatis est si quod maxime absurdum; Ergo maledicto illa etc. Prob. sequela maj. Ubi nulla erat Mosaicae Legis observatio, ibi nulla erat, aut esse poterat salus: Ergo si maledictio illa solos etc.

§. 158. R. n. ans. Quamvis enim Gentiles Mosaicam legem non servarent; multi tamen eorum naturæ Legem in cordibus suis scriptam custodientes, divinae gratiæ auxilio, aeternam salutem sunt adepti. Atque id docet quidem Auctor libri de Cælesti Hyerarchia cap. IX., quem librum etsi cum non paucis emunctæ naris viris, Dionysio Areopagitæ suppositum, verisimilius arbitremur; attamen a gravissimo, ac vetustissimo Auctore scriptum fuisse, tanquam nimis probabile putamus. Porro Auctori huic, post D. Thomam ac subtilissimum Doctorem nostrum, universa concinit Theologorum turba: qui quidem Theologi, hoc uno sensu extra Synagogam quoque salutem fuisse adfirmant. Idque Jobi praesertim, et Nahamani exemplis validissime confirmant: Jobus enim (Cap. 1. et 2. vitae ipsius) homo dicitur *simplex*, *rectus*, *timens Deum*, *ac recedens a malo*, *et adhuc retinens innocentia*; licet Israelita ipse non fuerit. Nahaman praeterea Syrus (ex IV. Reg. cap. V.) veri quidem Dei

cultor factus est, at non Moysaicæ Legis sectator. Licet igitur maledictio illa solos Judaeos Legis transgressores respiciebat, quatenus pro ipsis solum Lex illa erat lata, non inde sequitur, nullam extra Synagogam salutis obtinendae spem fuisse ex eo, quod nulla extabat apud Gentiles Mosaicæ Legis observantia

§. 159. *Contra*. Atqui ubi nulla erat Mosaica Legis observantia, ibi absolute nulla quoque erat aut esse poterat salus; ergo a capite argumentum. Prob. subs. Ubi nullus erat, Mosaicæ Legis rigor, nullaque observatio, ibi (ex XII. Exodi cap.) nullus profecto erat Circumcisionis ritus; jam vero ubi nullus erat Circumcisionis ritus, ibi (ex Gen. cap. XVII.) nulla erat, aut esse poterat salutis obtinendae spes; ergo ubi etc.

§. 160. R. concessa maj; n. min. Inconcussum profecto, atque hic praesertim veluti certum supponendum est, extitisse post lapsum Protoparentis Adæ; jam ante illud tempus, quo Circumcisionis præceptum Abrahae datum fuit, remedium aliquod, quo non solum adulti, sed infantes quoque originali labe purgarentur. Cujusmodi autem illud fuerit, non est hujus loci investigare: de hoc enim fuse pertractant Theologi in Tractatu de Sacramentis in genere. Sed qualecumque tandem illud fuerit, qua demum via ac ratione demonstrabunt Adversarii, remedium hoc, quo ante initum a Deo cum Abraham Circumcisionis pactum, originis peccata delebatur, vim suam post illud tempus, quoad reliquas Gentes, populosque amisisse? An quia præceptum illud Circumcisionis jam fuerat constitutum? At illud Abrahae solum, ejusque Posteris (de quibus solummodo in eo, qui objicitur Gen. loco, sermo est), non autem omnibus positum fuisse, certissima res est; cujus rei Scripturæ fidem faciunt locupletissimam. Exinde igitur Mosaicam Legem omnibus hominibus sanctam fuisse, neutiquam conficitur.

CAPUT VII.

De moralibus praeceptis Legis Mosaicae.

§. 161. *Animad.* Lex Vetus tribus praeceptorum generibus coalescebat; moralibus nempe, caeremonialibus, et judicialibus. *Loquar tibi*, dixit Dominus Moysi (Deuteron. Cap. V. v. 31.), *omnia mandata mea, et caeremonias, atque judicia.*

§. 162. *Def. 1. Praecepta moralia ea dicuntur, quibus praecipua hominum officia ad mores, ad rectae rationis normam componendos, et quæ per rationis lumen jam sufficienter hominibus intimata, Deus denuo inculcavit, atque Decalogo eorum summam complexus est.*

§. 163. *Def. 2. Cæremonialia praecepta ea dicuntur, quibus certi ritus ad Dei cultum spectantes, praescribuntur.*

§. 164. *Def. 3. Praecepta tandem judicialia dicuntur illa, quae rectum modum, et rationem præscribunt justitiae servandae, recteque administrandæ.* De moralibus hic tantum verba facimus (1).

§. 165. *Schol.* Haec porro moralia praecepta, quamvis multa adsignentur, ad decem tantum reducuntur, quae Decalogo complectuntur. Primum: *Ego sum Dominus Deus tuus etc* (2); *Non habebis Deos alienos coram me.* Secundum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertium: *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* Quartum: *Honora Patrem, et matrem tuam.* Quintum: *Non occides.* Sextum: *Non moechaberis.* Septimum: *Non furtum facies.* Octavum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum*

(1) Qui de caeremonialibus, atque Judicialibus praecepis aliqua scire cupit, legat Becan. in Manuali Lib. V. Cap. XIX. q. 2. n. 5. 6.

(2) Exod. Cap. XX. v. 2. et seq.

testimonium. Nonum: *Non concupisces domum proximi tui*. Decimum tandem: *Nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quae illius sunt*. Singula breviter explicemus.

I. Præceptum.

Non habebis Deos alienos coram me.

§. 166. Hoc praeceptum duo importat, alterum ut unicum et verum Deum adoremus, eumque mente, puro corde, totisque viribus diligamus; et actibus tum internis, cum externis colamus; alterum, ne aliud Ens quodcumque, cultu praedicto, soli Deo debito, prosequamur.

§. 167. *Coroll.* Contra hoc itaque praeceptum faciunt omnes Idololatrae, quibus Christi Fides sufficienter annuntiata fuit; omnes Haeretici, qui Fidei veritates, prout ab Ecclesia proponuntur, amplexari respuunt; omnes illi, qui Dæmonibus obsequium praesentat, atque praestigiis, incantationibus, aliisque diabolicis superstitionibus dant operam; omnes illi, qui sibimet ipsis fidentes, spem collocant in pecunia, thesauris, ac hujus saeculi praepotentibus; tandem, ne plura prosequamur; omnes illi, qui amore creaturarum perciti, Deum, uti par est, non diligunt.

II. Præceptum.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

§. 168. Duo pariter continet. Primum, ut Dei Nomen sanctum, et terribile, debitis obsequiis, et honore prosequamur. Dei Nomen dicimus, non prout literis, syllabisque componitur, sed prout Entis per-

fectissimi, atque infiniti personam designat. Secundum, ne frusta, aut irreverenter Dei nomen assumamus.

§. 169. *Coroll.* Quare Praeceptum hoc violant, qui temere, et absque necessariis conditionibus jurant: Qui juramenta alioquin rite facta, non servant, et promissam fidem non liberant: Qui verbis æquivocis, aut ambiguitate sermonis proximum, cui jurant, fallunt: Qui basphemant, aut, ex ira, et ore impio Dei Sanctorumque Nomen, ac sacra pronuntiant, etc.

III. Praeceptum.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices.

§. 170. Duo etiam complecitur hoc Praeceptum. Unum: ut abhorreamus peccata, per quae homo diaboli servitio detinetur, atque ut ab operibus servilibus abstineamus, iis exceptis; quae aut ad humanæ naturae necessitatem, aut ad ornatum Templi, et Festorum celebritatem, aut denique ad pietatis officia pertinent. Alterum, ut bonis insistamus, divino cultui, et animarum saluti, peculiari ratione; atque sollicitudine vacemus.

§. 171. *Coroll.* Itaque contra hoc praeceptum agunt, qui dies Festos in conviviis, saltationibus, aliisque id generis periculosis, non modo, sed peccaminosis actibus traducunt, Dei, animarumque suarum immemores; qui Divinis officiis, atque sacrificiis in Ecclesia, aut non assistunt, aut nimis oscitanter: et indevote, qui operibus servilibus, ut (§. 170.) explicatum est, incumbunt, dies Festos una cum caeteris bebdomadae diebus confundentes, et indiscriminatim accipientes.

§. 172. *Schol.* Atque hæc sunt tria praecepta, quae Deum respiciunt; quaeque in priori tabula a Moyse exarata sunt. Septem alia quae sequuntur, in posteriori tabula conscripta fuere, atque ad proximum pertinent.

IV. Praeceptum.

Honora patrem tuum, et matrem tuam.

§. 173. Tria requirit; 1. ut parentes sincera, atque gratuita animi benevolentia, pietate, atque dilectione prosequamur. Ut externa obsequii, et obedientiae argumenta ipsis exhibeamus; ita tamen ut eorum honori, semper Dei honorem, atque cultum anteferamus; 3. ut eis necessaria subsidia, omni cura diligentiaque subministremus. Parentum vero nomine non intelliguntur solum illi, qui nos genuerunt; sed qui parentum loco sunt, vel gubernatione, vel instructione, vel aetate et cura; tales sunt Reges, et Principes, Praeceptores, Tutores, Seniores. Istis namque proprius honor, in suo ordine etiam debetur.

§. 174. *Coroll.* Hinc praeceptum hoc violant ingrati illi filii, qui parentes aversantur, spernunt, ac veluti eos, quasi si non agnoscerent pertractant; qui illos maledictis, aut verberibus, quod horrendum dictu est, scelestius afficiunt; item illi, qui Regi obsequium denegant; de eo male obloquuntur: Qui civium seditiones adversus eum suscitant, ac fovent; ejus Leges et jura violant; Illi tandem, ut caeteros mittamus, qui senioribus, magistris, aliisque superioribus honorem, et reverentiam debitis non praestant officiis.

V. Praeceptum.

Non occides.

§. 175. Praeceptum hoc vetat, quemque hominem, privata auctoritate, occidere, aut alio quovis modo, cujusvis hominis vitae, sive periculosum, sive lethale damnum inferre; jubetque propterea ut sincera, et concordi amicitia proximos diligamus, sive amicos, sive inimicos, eisque bona non solum sarta tecta velimus, sed et faciamus. Quare.

§. 176. *Coroll.* Hujus praecepti violatores sunt, qui hominem auctoritate privata, licet publicum malefactorem, occidunt; qui venena in hominum perniciem conficiunt, aut propinant; qui proximo in extrema necessitate posito non subveniunt; qui sibimetipsis manus violentas inferunt, aut sibi vel aliis laesionem in aliqua corporis parte faciunt; qui iracundia moti, minis, maledictis, probris, conviciis proximum impetunt; qui ad duellum provocant, vel duellum acceptant etc.

VI. Praeceptum.

Non Macchabœis.

§. 177. Hoc praeceptum dupliciter intelligi potest; et ut nempe *negativum* est, et prout *positivum*. Prout est *negativum*, vetat speciatim adulterium; alterius nempe thori violationem, omnesque alios illicitos concubitus interdicit; nempe simplicem fornicationem, stuprum, incestum, sacrilegium, raptum, sodomiam, bestialitatem: mollitiem, peccatum contra naturam; necnon quamlibet aliam impudicitiam, quae tactibus, aspectibus, osculis, verbis, nutibus, scripto, aut alia ratione perpetratur. Prout vero est *positivum*, jubet, ut animi corporisque castitatem, omni studio servemus; Atque haec duo, paucis complexus est S. Paulus scribens ad Thessalonicenses (Epist. I. Cap. IV. v. 3. n. 5.): *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, et honore, non in passione desiderii sicut et gentes, quæ ignorant Deum.* Quapropter

§. 178. *Coroll*: Hoc praeceptum transgrediuntur impudici omnes atque carnales, qui sensualibus desideriis, et carnis operibus explendis dant operam.

VII. PRÆCEPTUM.

Non furaberis.

§. 179. Praeceptum hoc non solum vetat ne in bonis fortunae proximo damnum inferamus; sed insuper jubet ut illum, nostra opera indigentem, modo quo possumus, adjuvemus. Hinc

§. 180. *Coroll*: Adversus hoc praeceptum faciunt fures, raptores; viarum publicarum grassatores; qui decimas, vectigalia, seu tributa clam surripiunt, et furantur: usurarii; qui debitam operariis mercedem non persolvuunt, etc., nec non illi qui habentes superflua, saevi, et inhumani, pauperibus non subveniunt; atque ut alios taceamus, illi tandem, qui rei frumentariae, atque annonæ caritatem proprii, ac peculiaris lucri caussa procurant; unde tot mala in societate, atque in familiis dispendia enascuntur.

VIII. PRÆCEPTUM.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

§. 181. Hoc praeceptum, sicut et alia, duo continet. Primum ne aliquid falsum contra proximum proferamus; Secundum, ut verum dicamus. Utrumque Apostolus his verbis expressit, ad Ephesios scribens (Cap. IV. v. 23.): *Veritatem facientes, in charitate, crescamus in illo per omnia. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra*. Unde

§. 182. *Coroll.* Hujus praecepti transgressores sunt mendaces; qui sive in judicio, sive extra, falsum crimen proximo imponunt: qui proximo detra-

bunt; qui detrahentes audiunt; qui cum possint detractionem impedire, non impedunt etc. Tandem

IX., et X. Praeceptum.

Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus; non servum, non ancillam, neque omnia, quae illius sunt.

§. 183. Haec duo ultima praecepta, per se clariora sunt, quam expositione indigeant. Quaecumque enim superioribus praeceptis facere vetamur, hisce posteribus praeceptis prohibemur concupiscere; in iisque cogitandis morose delectari (1).

CAPUT VIII.

De Legis Mosaicae cessatione.

§. 184. *Def. Lex desinere dicitur, aut mori cum desinit obligare. Mortifera autem evadit, cum ita desinit obligare, ut amplius observari, sine culpa, non possit.*

---

(1) Paucis pro instituti modulo hic Decalogi praecepta complexi sumus; paucissimis quinimo verbis, his versiculis comprehensa iterum damus; nempe:

1. Unum cole Deum; 2. nec jures vane per ipsum:
3. Sabbata sanctifices: 4. habens in honore parentes.
5. Ne sis occisor; 6. Moechus; 7. fur; 8. testis iniquus.
9. Alterius nuptam; 10. nec rem cupias alienam.

Qui vero fuse, atque dilucide ea explicata desiderat, legat Theologos Morales. Cuniliati Tom. I. Tract. IV. Natalem Alexandrum Theologia Dogmat. et Moralis Tomo II. Lib. II. Cap. II. Anacletum Tractatu IX. Theolog. Moralis; Potestà Examen Confessariorum Tomo I. P. II. aliosque.

§. 185. *Schol.* Id autem tunc evenit, cum Lex non desinit tantum *privative*, ut nempe imperium ipsius, et obligatio tollatur, sed etiam ejus contrarium, et oppositum statuatur; ut videlicet prohibeatur id quod antea praeceptum erat, ac praecipiatur id quod antea prohibitum erat.

§. 186. *Animad.* Ex tribus praeceptorum generibus, quibus Veterem Legem constare diximus (§. 161.), Præcepta Moralia, prout Legis naturae præcepta sunt, etiam in praesens homines obligant, idque non vi Legis Mosaycae, sed vi tum Legis naturae, tum Legis Evangelicae. Praecepta vero judicialia, et caeremonialia mortua sunt; et haec posteriora quidem, mortifera quoque facta sunt ab eo tempore, quo mortifera evasit ejus Legis obligatio. Atque haec omnibus fere Theologis probata sunt. Quoad tempus vero, quo Lex Mosaica desierit, atque mortifera insuper, juxta dicta, evaserit

Variae sunt Theologorum sententiae.

§. 187. Non desunt, qui sustinent, Veterem Legem, in Christi adventu, et ante ejus mortem penitus desiisse. Tenent vero alii, quos inter D. Thomas cum suis, Bellarminus, Vasquez, aliique, in Christi morte id evenisse. Tuentur alii cum Subtili Praeceptore, S. Bonaventura, Suarez, et aliis permultis, Legem Veterem, quoad se fuisse in Christi morte abrogatam; at quoad vim obligandi ad ejus observantiam, non coepisse desinere, nisi die Pentecostes, cum nova Lex coepit promulgari. Quod vero ad tempus attinet, in quo praedicta Lex, quoad praecepta caeremonialia incoeperit esse mortifera, satis non constat. S. Hieronymus, mordicus contendebat, Legales ritus, statim post Christi mortem mortiferos fuisse factos eis, qui ex animo, et religione, eosdem

servabant: Atque hinc, Apostolos, nonnisi prudenti quadam simulatione, ne Judaeis scandalo essent, atque illos lucrifacerent, servasse Legalia. S. Augustinus contra inficiabatur, veteres caeremonias statim post Christi mortem evasisse mortiferas; unde ex animo, ac sincere fuisse eas ab Apostolis observatas, tuebatur. Quid nos in tanto Doctorum dissidio, ex sequentibus propositionibus patebit.

PROPOSITIO I.

Lex Vetus ante Christi mortem, nulla ex parte, desiit obligare.

§. 188. Prob: Si Lex Vetus ante Christi mortem obligare desiisset, Christus nec ipse eam observasset, nec aliis ad observandum proposuisset; Atqui utrumque hoc fecit Christus; Ergo etc: Prob: min: quoad utramque partem. Christus Dominus dum erat in hoc Mundo, non solum verbis, sed etiam operibus clarissime ostendit, se non venisse solvere Mosaicam Legem, sed adimplere; Nam octavo die a sua nativitate fuit circumcisus (Lucæ II. v. 21.). Legi purificationis Matrem subjici voluit (Ibid: v. 22.). Parentibus suis euntibus Jerosolymam per singulos annos in die solemni Paschae (Ibid. v. 41.) ibat cum eis. Quotannis ipse Pascha celebrabat cum discipulis suis; itaut pridie quam pateretur, voluit manducare Pascha, et reapse manducavit cum illis (Ibid: Cap: XXII. v. 7. et seq:). Sacerdotibus obsequium praestandum ostendit, cum, ut mundaret leprosos, dixit illis (Ib: XVII. 14.): *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*; cum turbas alloquens (Matt: Cap: XXIII. v. 2.) dixit eis: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei: omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate, et facite*; Ergo etc:

§. 189. *Dices.* 1. Lex Vetus a Deo Israelitis data fuit donec veniret *semen*, ait Apostolus ad Galatas (Cap: III. v. 19.), nempe *Christus*; Ergo statim ac venit Christus, cessavit; adeoque etc.

§. 190. R. dist: antec:, donec veniret semen, nempe Messias, qui novum conderet Testamentum, conditique *fieret mediator, morte intercedente*, ut loquitur Apostolus ad Hebræos (Cap: IX. v. 15.), conc: antec:, secus n. antec:, et consm. Cum dicitur quod Lex Vetus data fuerit donec veniret Messias, non intelligitur, illam statim ac Messias apparuit cessasse, alias toto saltem tempore, quo Messias vitam privatam servavit, homines nulla Lege obligati fuissent, quod est absurdum; sed donec Christus suam novam statuisset Legem, illamque Christianis dederit observandam; nulla namque Lex vetus vigens desiit, nisi per substitutionem novæ Legis fuerit a legislatore abrogata.

§. 191. *Dices.* 2. Fides in Christum est præceptum unum, et praecipuum Legis Evangelicæ; Atqui Iudæi, ante Christi mortem, huic praecepto fuerunt obstricti; Ergo Lex vetus etc.

§. 192. R. dist. maj: unum est praeceptum agendorum, nego maj: credendorum, sub: praeceptum positivum naturale, conc: positivum tantum, n. maj, et dist: min: prout naturali, conc: prout positivo, n. min: et consm. Lex Nova non constat solum præcepto fidei, hoc est credendorum, sed præceptis agendorum; itaut sicuti *qui non credit, jam judicatus est* (Ioann. III.), ita *procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.* Unde et Christus novæ Legis auctor, qui dixit (Ioan: III. v. 16.): *qui credit in eum . . . habet vitam æternam*, dixit quoque cuidam juveni (Matth: XVIII. v. 19.): *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Imo ut ipsemet servandæ Legis exemplum daret (Act: v. 41.), *cœpit facere, et docere.* Quoad

vero præceptum fidei in Christum relate ad Judaeos, verum est eos ad illud obligari, non quatenus illud præceptum Legis positivum erat, sed quatenus praeceptum naturale positivum.

§. 193. *Dices* 3. Christus, uti constat ex Evangelio, nonnulla dedit praecepta, atque sub poena æternae mortis, eorum observantiam inculcavit; sic inter alia de Baptismo, et Eucharistia; atque de illo apud S. Joannem (Cap: III. v. 1.) dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; de hoc autem (Ibid: Cap. VI. v. 54.): *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo Lex vetus etc.

§. 194. R. Multa quidem, ut Legislator dedit Jesus præcepta ante mortem suam, non ita tamen ut jam tunc homines obligarent, sed pro eo tempore, quo omnia ejus praecepta in unum corpus redacta, et sua morte confirmata, promulgarentur. Id maxime confirmatur, et clarior ex eo fit, quod Christus quando duo illa praecepta dedit, Baptismus, et Eucharistia nondum erat instituta; si ergo nondum erant instituta dicta Sacramenta, quomodo potuisset Christus ad illa suscipienda homines obligare? Adeoque etc.

PROPOSITIO II.

Lex Mosaica in morte Christi Domini abrogata fuit atque desiit, quoad praecepta caeremonialia, et judicialia.

§. 195. Prob. Nam 1. Lex Mosaica fuit figurativa Jesu Christi Domini nostri; tunc ergo desiit, cum figuræ omnes in figurato adimpletæ fuerunt in Christi morte; tunc enim ait Christus: *consummatum est, et velum templi scissum est* (Matth. Cap. XXVII. v. 51.); quo mysteriorum Synagogæ prophanatio de-

claretur, ait S. Ambrosius (Lib. I. in Lucam Cap. XXIII.); Ergo etc. Secundo: In ultima Cæna Christus novum sacerdotium, figurarum veteris Legis impletivum instituit, eumque a Sinagoga ad Ecclesiam suam transtulit; Atqui ex Apostolo (Ad Hebræos Cap. VII. v. 12.): *translato Sacerdotio, necesse est ut fiat Legis translatio*; Ergo etc. Tandem Lex vetus, tunc desiit, cum Testamentum novum fuit conditum; *Novum namque* Testamentum, *veteravit prius* (Heb. VIII. v. 13.). *Quod autem antiquatur et senescit, interitum est*; Atqui Testamentum novum morte Christi confirmatum fuit, atque ex ea valorem accepit; *Ubi enim Testamentum est* (ib. Cap. IX. v. 16.), *mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est*; Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Lex Mosaica non desiit totaliter, nisi postquam Lex nova per Apostolos, in die Pentecostes, Spiritu Sancto afflatos, coeperit promulgari.

§. 196. Prob. Nam si Lex Vetus statim in morte Christi totaliter desiisset, aut dicendum, homines toto illo tempore, quod intercessit a morte Christi usque ad prædicationem Evangelii, nulla Lege positiva fuisse obstrictos, aut ad Legem Evangelicam servandam fuisse obligatos; Atqui neutrum dici potest: non primum, quia nimis absonum est, et divinæ providentiæ indignum relinquere homines tot diebus sine Lege positiva, cum tamen Christus Legem ipsam se venisse servare affirmaverit; non secundum, quia Lex Evangelica nondum promulgata fuerat, et eam homines penitus ignorabant; Ergo.

PROPOSITIO IV.

Lex Mosaica eodem tempore mortua non fuit, et mortifera.

§. 197. Prob: Nam ea, licet ab incoepta prædicatione Evangelii penitus desierit, Apostoli tamen non statim ab observandis aliquibus ejus praeceptis abstinuerunt. Sane Paulus (Actorum Cap. XVI. v. 3.) Timotheum ex Patre Gentili, et matre Judæa natum, circumcidit. Dum esset in Cenchris caput suum (Ibid. Cap. XVIII. v. 18.), Nazaræorum more, totondit; de consilio S. Jacobi (Ibid. Cap. XXI. v. 10) cum Judæis se purificavit. Sed hoc non fecissent, si Lex vetus fuisset mortifera, quia tunc peccassent; Ergo etc.

Quaeres. *Quo tempore Lex Mosaica cœperit esse mortifera?*

§. 198. R. Certo definiri nequit quonam tempore præcise Lex Mosaica coeperit esse mortifera, probabile tamen est, ab ipso Apostolorum tempore coepisse. Nam S. Ignatius Martyr Apostolorum discipulus, hæc scripsit (Epist. VIII.): « Si quis cum » Judaeis celebrat Pascha, aut Symbola festivitatis » eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum » occiderunt, et Apóstolos ejus; hoc est gravissime » peccant (1).

(1) Vid. Suarez lib. IX. de legibus Cap. XVII. L'Herminier Tomo V. tract. de legibus pag. 253.

CAPUT IX.

De Lege Evangelica.

§. 199. *Def: Lex Evangelica est illa, quæ a Jesu Christo Domino nostro data fuit, et ab Apostolis promulgata.*

§. 200. *Schol.* Hæc Lex pro sua excellentia, atque dignitate variis nominibus appellatur. Et primo namque *Lex Evangelica* dicitur, tum quia in Evangelio continetur, tum quia bona nobis nuntiat. Evan» gelium *namque* est bonum nuntium (Auct. Operis » Imperfecti in Matth.): bona autem hominibus nun» tiantur, quando promittitur eis beatitudo cælestis, » peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum » resurrectio, immortalis vita, haereditas regni Cæ» lestis, possessio gloriæ sempiternae, societas An» gelorum, et fraternitas Christi, et paternitas Dei «. Secundo vocatur *Lex nova*, tum relate ad Legem Mosaicam, quae desiit, tum relate ad Legislatorem et praecepta nova, quae continet. « Novus *namque* » homo, ait S. Gregorius Papa (Homilia XXII. in » Mundum nova praecepta dedit Mundo, et vitæ no» strae veteri contrarietatem opposuit novitatis suae ». Tertio vocatur *Lex charitatis*, quia, ut ait idem S. Pontifex (Homilia XVII. in Evang.), quidquid » praecipitur, in sola charitate solidatur ». Et recte: Nam Christus ipse dixerat (Joannis Cap. XV. v. 12.): *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Quarto vocatur *Lex fidei*, quia per ipsam fidei Mysteria magis expressa, atque determinata fuerunt. Quare Christus Dominus Apostolos alloquens, dixit (Marci Cap. IV. v. 11.): *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem qui foris sunt in parabolis omnia fiunt.* Quinto vocatur *Lex gratiae*, quia gratiam justificantem confert, quam Lex vetus non conferebat; Quare S. Joannes (Cap.

I. v. 17.) : *Lex*, ait, *per Moysen data fuit, gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.* (1).

§. 201. *Animad.* Lex Evangelica tria praeceptorum genera complectitur; nempe praecepta *moralia*, *cæremonialia*, *et fidei*. Praecepta moralia, utpote Legis naturae (§. 143.), eadem sunt ac illa Legis Mosaicae (§. 165.); perfectiori tamen modo a Jesu Christo imposita, et inculcata: Ubi namque in Lege veteri scriptum erat (Matth. Cap. I. v. 43. 44.): *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum*, addit Christus in Nova Lege: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros etc.* Praecepta *cæremonialia* in Lege nova dicuntur illa, quae rectum usum respiciunt, rectamque Sacramentorum administrationem, cultum Dei externum, ac Ecclesiasticam jurisdictionem. Tandem praecepta *fidei* illa dicuntur, quae ad fidem tum suscipiendam, tum servandam, tum profitendam pertinent. Jam vero hæc praecepta, mox exposita, in Lege Evangelica contineri, ille solum negare poterit, qui de Evangelio nihil unquam audierit.

§. 202. *Schol*: Non desunt nihilominus qui Legem Evangelicam nullam esse affirment, aut illi obtemperandum non esse; Christum propterea vere Legislatorem esse negent. Et sane Judaei, sicuti Jesum, verum Messiam promissum non agnoscunt; ita eum verum Legislatorem esse inficiantur. Lutherus homini Christiano nulla Lege opus esse docuit, cum per Fidem ab omni Lege liber sit. Brentius, Legem Evangelicam veram ac propriam Legis rationem non habere, asserit; unde concludit, Christum vere legislatorem non esse. Idipsum docuit Calvinus, hac du-

---

(1) Leg. Frassen de Legibus Disp. III. Art. III. Concl. unic.

ctus ratione, quod Christus non jusserit novam Legem moralem, nec veterem perfecerit, aut abrogaverit, sed solum hanc suae integritati restituit. Contra hos militant Catholici omnes, cum quibus sit

PROPOSITIO

Christus est vere legislator, et veram præceptivam Evangelicam Legem instituit.

§. 203. Prob. 1. In veteri Testamento Christus Dominus legislator promittitur). Nam apud Jeremiam (Cap. XXXI. v. 31. 33.) legitur: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam, domui Israel, domui Juda foedus novum, dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam:* quae de nova Lege a Messia tradenda interpretatur S. Paulus (Hebrae. Cap. VIII. v. 13.); *dicendo enim novum fœdus, veteravit prius, quod autem antiquatur, et senescit, prope interitum est.* Apud Isaiam pariter legitur (Cap. II. v. 3.): *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex; et verbum Domini de Jerusalem.* Et alibi (Cap. XXXIII. v. 22.) Messias ab eodem Propheta vocatur: *Dominus Judex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster.* Quod vero Christus revera venerit ut Legislator, patet ex Novo testamento, ubi Christus discipulis suis de sua Lege nova servanda, passim loquitur, dicens (Joannis Cap. XIV. v. 15.): *Si diligitis me, mandata mea servate: Si præcepta mea servaveritis* (Apud eumd. Cap. XV. v. 10.), *manebitis in dilectione mea: Docete eos* (Matthæi Cap. XXVIII. v. 20.) *servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

§. 204. Prob. 2. ex Concilio Tridentino, quod sic loquitur (Sess. VI. Canone 21.): *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit.* Et (Ibid. Canon. 19.): *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Ergo etc.

Hæreticorum argumenta solvuntur.

§. 205. *Objic.* 1. Apostolus ad Galatas scribens, ait (Cap. IV. v. 4.): *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*; Ergo Christus non venit ut Legislator, sed potius ut liberator a Lege. Adeoque etc.

§. 206. R.' dist. sensum auct. *Misit Deus etc.* a servitute Legis Mosaicae, conc., ab omni Lege, nego. Lex vetus tum ob multitudinem praeceptorum atque eorum duritiem; tum ob debilitatem mediorum atque auxiliorum, Lex servitutis vocabatur. Christus ergo veniens in Mundum, uti Redemptor, a servitute, et maledicto hujus Legis liberavit homines, et uti Legislator dedit novam Legem, sed Legem suavem, et dilectionis; Legem quae dat media non solum sufficientia, sed etiam efficacia ad salutem consequendam; Quare vocans homines, qui sub Lege veteri erant ad observantiam Legis suæ novae. *Venite* inquit (Matthaei Cap. XI. v. 28.), *ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos . . . Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.*

§. 207. *Contra.* Atqui Deus misit filium suum, ut ab omni Lege nos liberaret; Ergo n. r. Prob. subsm. Idem Apostolus ad Romanos scribens, ait

(Cap. VI. v. 14.): *Non estis sub lege, sed sub gratia*; Ergo etc.

§. 208. R. cum S. Augustino (Lib. de Continentia Cap. III.): Non sumus sub Lege veteri, bo- » num quidem jubente, non tamen dante; sed su- » mus sub gratia, quae id quod Lex jubet faciens » nos amare, potest liberis imperare ». De facto pluribus in locis Christi Legem agnoscit Paulus, praesertim ubi ait (Ad Galatas Cap. VI. v. 2.): *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.*

§. 209. *Contra.* Atqui sub nulla prorsus Lege Evangelica sunt homines; Ergo a capite argm. Prob. subsm. Laudatus Apostolus ad eosdem scribens (Cap. VIII. v. 15.): inquit: *Non accepistis spiritum servitutis, iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*; Atqui ex eodem: *Ubi est spiritus Domini, ibi libertas*, nempe a Legis observantia; Ergo etc.

§. 210. R. n. min. Falsum omnino est, laudato in loco, Apostolum significare, homines per Legem libertatis a Christo acceptam, sub nulla Lege esse, nullaque Legis observantia obligari. « Nam praecepta » Dei, ait S. Thomas (In hunc loc.), sunt regula » voluntatis humanae. Nullus autem homo est, nec » etiam Angelus, cujus voluntatem non oporteat re- » gulari, et dirigi Lege Divina. Unde impossibile est » aliquem hominem praeceptis Dei non subdi: Hoc » autem quod dicitur . . . . ubi spiritus Domini, » ibi libertas, intelligitur, quia liber est qui est causa » sui, servus autem est causa Domini; quicumque » ergo agit ex seipso, libere agit, qui vero ex alio » motus, non agit libere. Ille ergo qui vitat mala, » sed propter mandatum Domini, non est liber, sed » qui vitat mala, quia mala, est liber. Hoc autem » facit Spiritus Sanctus, qui mentem interius per- » ficit per bonum habitum, ut sic ex amore caveat

» ac si praeciperet Lex Divina, et ideo dicitur li-
» ber, non quin subdatur legi Divinae, sed quia ex
» bono habitu inclinatur ad hoc faciendum quod
» Lex Divina ordinat ».

§. 211. *Objic*: 2. Christus Dominus venit in Mundum peccatores justos et salvos reddere; Atqui ex Apostolo (I. ad Tim: I. v. 9.): *Lex justo non est posita*; Ergo falsa propositio.

§. 212. R. conc: maj:, dist: min., non est posita quoad vim obligandi, n. min; quoad vim coactivam, sudist:, in actu primo, conc: in actu secundo, n. min: cum consa. Deus, qui omnia agit pondere, numero, et mensura, atque omnia summo ordine constituit, ac sapientia gubernat, noluit homines esse ex Leges; unde sicuti Legem naturæ eis indidit; legem positivam per manum Moysis in monte Sina dedit; ita et per Iesu Christum novum hominem nova praecepta dedit Mundo, et Legem Evangelicam eis donavit, cujus observantia, recta ad finis consequutionem, nempe ad vitam æternam pervenirent. Esto propterea per Jesum Christum, atque ejus merita, homines justificati, et sanctificati essent, Legem gratiae dedit eis, ut eam observantes, in sanctitate, et justitia coram ipso ambularent omnibus diebus suis. Lex itaque justis, atque peccatoribus data est; sed pro justis, perinde est, ac si data non fuisset, quia justi, non vi, et metu coacti, Legis præcepta custodiunt, sed ex amore, et sponte sua faciunt, quod Lex eis praecipit. Apposite S. Augustinus (in Psal: I. v. 2.): « Justo non est Lex posita
» Sed aliud est esse in Lege, aliud sub Lege. Qui
» est in Lege secundum Legem agit; qui est sub Lege,
» secundum Legem agitur; ergo ille liber est, iste
» servus »; quia est sub Lege, quia portat Legem ut omnes, ille portatur a Lege; in qua quiescit ejus voluntas; Igitur etc.

§. 213. *Contra*. Atqui justo nulla penitus Lex

posita est; Ergo n. r. Prob: subsm. *Justus*, ex Apostolo ad Hebræos (Cap: X. v. 38.); *ex fide vivit.* Ergo etc.

§. 214. R. admitt: auct: dist: sensum; Iustus ex fide solum vivit, n. antec:, vivit ex fide et operibus fidei, conc; antec:; Ergo etc: n. consm. Cum ex citato Apostolo (Heb. XI. 9.): *Sine fide impossibile sit placere Deo*; cumque *fides sine operibus mortua sit* (Trac. III. v. 20.), ille vere justus est et fidelis, qui opere complet quod credit; atque ille justus vere dici potest, quod fide vivat, qui credit et operatur. Nam *qui credit Deo attendit mandatis* (Eccl. XXXII. v. 28.); et qui credit Iesum Christum veniisse in Mundum, ut sua passione, et morte homines salvaret, nequit non inflammari ad ejus dilectionem, atque hinc ejus sermones, et præcepta, unico verbo Legem ejus non servare: *Qui* enim dixit Christus ipse (Joan. XIV. v. 23.) *diligit me sermonem meum servabit*; et ad Apostolus (ib: v. 5.): *Si diligitis me, mandata mea servate.* Iustus ergo ex fide vivit, sed non sine operibus bonis, quæ Legis observantia fiunt.

§. 215. *Contra.* Atqui adeo justus ex fide vivit ut nulla Lege operationum teneatur; Ergo n. r. Prob: subsm. Si qua esset Lex operationum ad quam servandam justus nunc teneatur, foret proculdubio Lex Evangelica; Atqui Lex ista ab eodem Apostolo (Rom: III. v. 27.) *Lex fidei* dicitur, ad differentiam Legis Mosaicæ, quae *Lex factorum* dicebatur; Ergo etc.

§. 216. R. conc: maj: dist: min: Lex fidei dicitur, quia solum est de credendis, n. min: secus conc min: Lex Evangelicâ non ideo dicitur Lex fidei, quia quae credenda sunt solum imponit, nihil præcipiens de operibus bonis, et mandatis servandis; sed quia gratiam abbundantem secum affert in comparatione Veteris Legis, quæ sterilis erat; et quia majorem explanationem dat. Mysteriorum Dei, et Ar-

ticulorum fidei (§. 200.) praesertim ergo SS. Trinitatem, et Verbi Divini Incarnationem; juxta illud Christi Domini (Marci: VI.) ad suos Discipulos: *Vobis datum est nosse Mysteria Regni, illis autem, qui foris sunt, omnia in parabolis fiunt;* non vero quia nulla praecepta tradit observanda. Et sane idem Apostolus, qui Legem Evangelii vocat Legem fidei, in omnibus suis Epistolis fideles hortatur ad bona opera facienda, et Christi mandata servanda, ut legentibus clarissime patet. Adeoque etc.

Quæres. *Utrum in Evangelio, praeter Legem dentur etiam consilia?*

§. 217. R. 1. Consilii nomine hic intelligitur opus quodpiam, quod in Evangelio nullibi præcipitur, sed tantummodo suadetur, quodque proinde si fiat, Deo placet, hominique prodest; hujusmodi sunt voluntaria castitas, obedientia ad hominem; item varia mortificationum genera voluntaria, veluti jejunia, cilicia, flagellationes etc., quae dicuntur *consilia Evangelica*, et etiam *opera supererogationis.*

§. 218. R. 2. aff: Nam Christus Dominus apud S. Matthaeum (Cap. XIX. v. 21.) cuidam interroganti, quid agendum sibi foret, ut vitam aeternam possideret, respondit: *serva mandata*; et cum ille adfirmasset se ea servasse, addidit Jesus consilium, quo perfectus fieret, nempe: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus.* Insuper hortans homines ad virginitatem servandam, praeceptum nullum dedit de non nubendo, sed solummodo dixit (Ibid. v. 12.): *Sunt Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt, et sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, et sunt Ennuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum Cœlorum. Qui potest capere capiat.* Hinc Paulus ad Corinthios scribens, ait (1):

---

(1) Epist. I. ad Corinth. Cap. VII. v. 25.

De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.

Quæres. *Quando nova Lex obligare cœpit?*

§. 219. R. 1. Lex nova a morte Christi incœpit; tunc autem cœpit homines, licet non omnes, obligare ad sui observantiam, cum Apostoli a die Pentecostes, Spiritu Sancto afflati, et virtute induti ex alto, eam coeperunt hominibus promulgare. Nam Lex nova veteri successit, sed Lex vetus in morte Christi desiit (§. 195.); ergo tunc Nova incoepit. Deinde ut Lex obligationem inducat, debet promulgari; nemo enim potest ad implendam Legem adigi, quam penitus ignorat; sed Lex nova a die Pentecostes cœpit ab Apostolis promulgari: legitur quippe in Actis Apostolorum (Cap. II. v. 4.): *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Ergo etc.

§. 220. R. 2. Esto tamen a die Pentecostes Lex Evangelica obligare cæperit homines; actu tamen et tunc non omnes obligavit per totum Orbem. Nam ut Lex obliget, debet promulgari, et ad subditorum notitiam pervenire; nemo enim obligari potest ad observandum quod ignorat. Jam vero lex Evangelica in die Pentecostes solummodo in Jerusalem promulgata fuit; Ergo cœpit quidem Lex Evangelica Ierosolymam ac vicina loca obligare, at non simul cæteras omnes Mundi plagas.

Quæres. *Num in Legem Evangelicam dispensatio, et Epicheja cadere possit?*

§. 221. R. 1. Nullus homo potest in Legem Evangelicam dispensare. Nam Lex Evangelica lata fuit a Jesu Christo, qui est Dominus dominantium, Princeps Regum Terrae, et super omnia Deus; homines autem sunt eo inferiores, et ejus subditi; Atqui nullus inferior, aut subditus potest in Lege sui Superioris, et Domini dispensare; Ergo etc. Deinde; Si aliquis daretur, qui posset in Lege Evangelica dis-

pensare, is maxime esset Summus Pontifex; Atqui id Summus Pontifex non potest, dicente S. Leone Papa (Epist. 9.): *ne in dubiis quidem posse quidquam statui praeceptis Evangelicis contrarium*; Ergo etc.

§. 222. R. 2. Epicheja in Legem Evangelicam cadere potest. Nam Legum interpretatio, ex communi fere Doctorum sententia, Reipublicæ Rectoribus committi solet; Atqui Summus Pontifex a Christo Domino totius Christianæ Republicae constitutus est caput, et Rector, saltem in spiritualibus; Ergo etc.

DE LEGE HUMANA.

§. 223. Legem naturalem, tam Divinam posivam sive Mosaicam, sive Evangelicam usque modo contemplati sumus, praecipua, quæ de illis scienda erant, exponentes. Ordinis ratio postulat, ut pauca etiam de Lege humana Tyroni Theologo degustanda praebeamus. Sit ideo

CAPUT X.

De iis, qui jus habent condendi Leges Canonicas, et Civiles.

§. 224. *Def.* 1. *Lex humana est regula constans, et vera honestæ operationis, ab homine potestatem habente præscripta, obligans ad aliquid faciendum, vel omittendum.*

§. 225. *Schol.* Lex humana duplex est: *Canonica* nempe, vel *Ecclesiastica*, et *Civilis*.

§. 226. *Def.* 2. *Lex Canonica, sive Ecclesiastica est illa, quae ab homine Ecclesiasticam potestatem habente præscripta est, obligans ad ea, quæ ad finem supernaturalem, divinum cultum, et animarum salutem, spectant.*

§. 227. *Def.* 3. *Lex vero Civilis est illa, quæ ab homine politicam potestatem habente est præscripta, ad politicum; seu temporale Regni, Provinciæ, vel Civitatis regimen, ad temporalia jura tuenda, et ad communitatem in pace, et justitia conservandam.*

§. 228. *Schol.* Porro circa utramque hanc Legem plura errorum monstra ab Haereticis efformata sunt. Ac. 1. Albanenses, Ecclesiam nec anathemata, nec constitutionem ullam, aut Legem ferre posse docuerunt. 2. Lutherus, Christianum hominem nulli Legi, nisi divinae esse addictum venditavit; Ecclesiae proinde Legibus, veram Ecclesiae libertatem non modo captivari; sed penitus pessumdari. 3. Idipsum docuerunt Zuinglius, Calvinus, Valdenses, aliique, qui proinde concludebant, nullam humanam Legem sive Ecclesiasticam, sive politicam ligare posse transgressorem in conscientia sub peccato, et poenis. 4. Anabaptistae, omnem potestatem ferendi Leges Civilibus Magistratibus denegarunt; neque ab his dissentiunt Socinani. Contra quos, aliosque similia effutientes stant Catholici. Cum quibus et nos. Unde sit.

PROPOSITIO I.

In Ecclesiasticis Prælatis jus residet Leges Canonicas, sive Ecclesiasticas condendi.

§. 229. Prob. Qui jus habent alios regendi, atque gubernandi in rebus spiritualibus, et quae pertinent ad Dei cultum, et salutem animarum, ii habent quoque jus Leges ferendi pro recta gubernatione atque regimine; Atqui Ecclesiastici Praelati jus tale habent; Ergo jus quoque habent Leges condendi. Prob. min. Dominus Jesus Christus Petro, et in eo aliis Summis Pontificibus ejus successoribus, Ecclesiæ gubernium commisit, dicens (Matth. Cap. XVI. v. 19.): *Tibi dabo claves regni Cœlorum, quodcumque ligaveris super ter-*

ram erit ligatum et in Cœlis. (Joannis Cap. XXI. v. 17.): *Pasce oves meas: pasce agnos meos.* Apostolis vero, eorumque successoribus Episcopis ait Paulus (Actorum Cap. XX. v. 28.): *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; quinimo Dominus ipse jam dixerat illis (Matth. Cap. XVIII.): *Quæcumque ligaveritis super Terram, erunt ligata et in Caelo.*

§. 230. *Coroll.* Omnes ergo illi qui Ecclesiasticam jurisdictionem in foro externo habent, jus quoque habent suas respective Leges ferendi. Hinc pro tota Ecclesia jus hoc habet Summus Pontifex, et Concilium Generale a Pontifice convocatum, et approbatum. Collegium vero Cardinalium quoque, urgente necessitate, Apostolica Sede vacante, potest Leges ferre, sed provisionaliter tantum. Concilium Nationale pro tota Natione, et Provincia: Episcopus pro sua Dioecesi. Legati Summi Pontificis in territorio suae Legationis. Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum; Item Generales, Provinciales Ordinum, et Abbates pro suis subditis, utpote qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem (1).

Adversariorum objecta solvuntur.

§. 231. Objic. Apud Isaiam legitur (Cap. XXXIII. v. 22.): *Dominus legifer noster*; Ergo solus Deus potest Leges condere, et nullus alius.

§. 232. R. dist. ans. Dominus est solus legifer principalis a nullo dependens, conc. ans.; est unicus legislator cum exclusione aliorum inferiorum, et a se dependentium, n. ans., et consm. Cum Deus sit

---

(1) Vid. Juvenin. Tomo. V. dissert. V. q. 1. quaeres 2.

omnium Dominus, et Princeps, ipse utique est principalis, et solus indipendens Legislator; At non ideo alios a se dependentes humanos legislatores excludit, quinimo eos supponit; ait namque (Parab. Salom. Cap. VIII. v. 15.): *Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt.*

§. 233. *Contra.* Atqui ita Deus est unicus et solus legislator, ut omnem alium excludat; Ergo n. r. Prob. subsm. Res ita se habet si Deus prohibet aliquid ab hominibus ad Legem suam addi; Atqui revera id prohibet Deus, ait namque (Deuteron. Cap. XII. v. 32.): *Quod praecipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas;* Ergo etc.

§. 234. R. dist. maj. Res ita etc., addi quod sit Divinæ Legi contrarium, conc., secus, n. maj.; et eodem modo dist. min., n. consm. Judæis itaque prohibitum erat Legibus a Deo latis aliquid addere, quod esset illis contrarium, non vero quod in gloriam Dei cederet, et in ipsius Legum faciliorem observantiam. De facto plura in sacris Libris a Sanctis viris leguntur sancita, ab Israelitis, perpetuo servanda. In Libro namque Esther (Cap. IX. v. 21.); Judith (Cap. ultimo. v. 31.); et Libro I. Machabeorum (Cap. IV. v. 59.) nova Festa instituta legimus, ab Hebraeis in perpetuum observanda; Igitur etc.

§. 235. *Contra.* Atqui nequidem aliquid, quod non est Legi Divinæ contrarium potest ei addi; Ergo etc. Prob. subsm. Aut Christus sufficienter providit Ecclesiae suae per Legem a se latam, vel non; Si sufficienter providit, nihil addi potest Legi ejus; si sufficienter non providit, non est optimus atque sapientissimus legislator; Atqui hoc posterius falsum est; Ergo verum est primum; Adeoque etc.

§. 236. R. Christus sufficienter providit Ecclesiae suæ per Legem a se latam; At quoniam ipso

abeunte in Cælum, pastores succedere debebant, qui nomine ipsius Ecclesiam gubernarent, et ipsius vices gererent, dedit illis potestatem Leges ferendi, prout judicarent necessarium bono fidelium, attentis personarum, locorum, et temporum circumstantiis; unde et Apostolis, et omnibus Prælatis Ecclesiae dixit (Matth Cap. XVIII. v. 18.): *Quæcumque ligaveritis super Terram erunt ligata et in Cælo.* (1).

PROPOSITIO II.

Regia, seu suprema potestas est a Deo.

§. 237. Prob. In Ecclesiastico ait Deus (Proverb. Cap. VIII. v. 16.): *Per me Reges regnant, per me Principes imperant, et legum conditores juxta decernunt.* Item apud Ezechielem Prophetam (Cap. XXXIV. v. 23.): *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas. Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum.* Hinc Sapiens, Reges ad sapientiam, et justitiam exhortans, ita eos alloquitur (Cap. VI. v. 2. 4.): *Audite Reges, et intelligite: Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo.* Idipsum postea docuit Apostolus ad Romanos scribens (Cap. XIII. v. 1.): *Non est potestas nisi a Deo.* Ergo etc.

---

(1) Quae hic in praesenti materia desiderari possent, fusius pertracta fuerunt Tomo I. Tract. III. Cap. V. Prop. III. pag. 231.

PROPOSITIO III.

Regibus, ac supremis Potestatibus Civilibus jus a Deo datum est, Leges Civiles condendi.

§. 238. Prob. Paulus ad Romanos scribens ita eis inquit (Ibid.): *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. . . . . qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*; et ad Titum (Cap. III. v. 1.). *Admone illos Principibus, et Potestatibus sublimioribus subditos esse.* S. Petrus pariter (Epist. I. Cap. II. v. 13.): *Subjecti estote*, ait, ... *sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam a Deo missis*; et paulo post (V. 18.): *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.* Ergo etc.

Quaeres. *Quid contineat jus Canonicum*?

§. 239. R. Jus Canonicum continet *Decretum Gratiani*, *Epistolas Decretales* Gregorii IX., *Sextum Decretalium* Bonifacii VIII., *Clementinas*, nec non *Extravagantes* Joannis XXII., atque aliorum Pontificum. Decretum Gratiani ita dictum, quod a Gratiano Monaco Benedictino Anno 1150. fuit compositum, tribus constat partibus. Prima centum et unam distinctiones continet, quæ subdividuntur in capita, seu Canones. Secunda triginta sex, quæ dividuntur in quaestiones, et hæ in Capita. Tertia habet Tractatum de Consacratione, qui dividitur in quinque Distinctiones, et quælibet Distinctio in Capita. *Decretales* compactæ fuerunt a S. Raymundo de Pennafort Ordinis Prædicatorum, de mandato Summi Pontificis Gregorii IX.; quæ quoniam ex variis Epistolis tum ipsius Gregorii IX., cum aliorum Pontificum collectæ, *Epistolæ Decretales* dictæ fuerunt, et per hoc a Gratiani Decreto differunt, quod illud potius Conciliorum Decretis, quam Pontificum Romanorum Constitutionibus nitatur. Decretales quinque

Libris absolvuntur. Primus agit de Personis, quibus competit aliqua jurisdictio, et de judiciis præparatoriis. Secundus ordinem judiciorum explicat. Tertius de rebus Ecclesiasticis, quæ in judicium venire solent pertractat. Quartus de Sponsalibus, et Matrimonio; Quintus de criminibus et pœnis agit. His quinque Decretalium Libris, *Sextus*, ex Lugdunensi Concilio a Bonifacio VIII. additus fuit, compactus ex Epistolis Decretalibus tum novis Gregorii IX., tum aliorum Bonifacii ipsius sucessorum, tum ex suis propriis. Atque hic Liber *Sextus Decretalium* appellatur, et quinque Libris constat. Paulo post Clemens V. Constitutiones edidit, partim suas, partim ex Concilio Viennensi, cui præfuit, desumptas, quas ipso mortuo, complevit, et publici juris fecit Joannes XXII. Ipse tandem Joannes XXII. viginti edidit Constitutiones, et post ipsum alii Pontifices, alias quoque ediderunt, quae quoniam tunc aliquamdiu extra Corpus juris, vagarunt, *Extravagantes* appellatae fuerunt.

Quæres. *Qua ratione jus Canonicum citari soleat?*

§. 240. R. Vel loquimur de Decreto Gratiani, et ita citari solet; nempe quæ in prima continentur ita citantur *Canon*: vel *c. humanum dist.* 1.; hoc est Canone, vel capite, quod incipit *humanum* distinctione prima. Quæ in secunda, hoc modo *Canon* vel C. *Quicumque studet* 1. *q.* 1. idest: Caussa quæstione 1. Quæ in tertia, hoc pacto *Canon.* vel *c. Vasa* de consecrat. dist. 1., scilicet Canone, vel Capite incipiente *Vasa* de consecratione etc. Vel loquimur de Decretalibus, et istæ licet olim, quia extra Gratiani Decretum erant, citabantur cum adjecto *extra*, nunc simpliciter citantur, veluti *C. Tua, nos de jurejurando.* Vel loquimur de Sexto Decretalium, et citari solet cum hoc adjuncto in *Sexto*; veluti *volentes de privileg. in* 6. Vel de Constitutionibus Clementis V., quæ ab ipsius nomine *Clementinæ* ap-

pellatae sunt, et ita citantur *Clem. dudum*, *de sepulturis*; hoc est Clementina, quæ incipit per hanc vocem *dudum*, titulo de sepulturis. Vel tandem loquimur de extravagantibus, et hoc modo citari volunt. *Extravag. Unigenitus*; videlicet Constitutione extravaganti, cujus titulus *Unigenitus*. Atque haec in gratiam tyronum Sacrae facultatis (1).

CAPUT XI.

De Legum humanarum obligatione.

§. 241. *Def: Legem aliquam obligare in conscientia, est, illam obligare pro reatu culpæ sive mortalis, sive venialis; ita ut non possit quis sciens, et volens eam transgredi sine peccato.*

§. 242. *Animad.* Omnes illi Hæretici (§. 228.) qui potestatem ferendi Leges in hominibus negarunt, nullam quoque obligationem agnoverunt hominum Legibus obtemperandi, si forte illi eas tulerint. Hinc Calvinus sibi persuasum habuit, Legem Ecclesiasticam de jejunio, et abstinentia a quibusdam cibis in Quadragesima, aliisque statis temporibus, prorsus despectui habendam esse; nec non Legem de cœlibatu, tamquam tyrannicam, et verbo Dei adversam; Hinc Lutherus effutire est ausus, cavendum nobis a peccatis, sed et multo potius a Legibus, bonisque operibus. Sed quam impie ista sint prolata mox patebit.

---

(1) Vid Ex Charmes Tomo IV. Tract. II. de Legibus Cap. IV. q. II. art. I.

PROPOSITIO I.

Leges humanæ, sive Ecclesiasticæ, sive Civiles, ad observantiam in conscientia obligant.

§. 243. Prob. Hoc invincibili argumento S. Pauli ad Romanos; quod sic liceat proponere (Cap. XIII. v. 1.): *Non est potestas nisi a Deo* (§. 237.), *quæ autem sunt a Deo ordinata sunt; Ergo qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; Sed qui resistunt ordinationi Divinæ peccant, et ipsi sibi damnationem adquirunt;* Ergo Leges, etc. Quare idem Apostolus concludit strictius post pauca (Ibid v. 5.): *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Nec mirum, cum ipse Dominus exemplo suo docuerit obedientiam Magistratibus tum Ecclesiasticis, cum sæcularibus, illis cum ad Discipulos, et ad turbas verba faciens, dixit (Matth. Cap. XXIII. v. 2.): *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi: Omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate, et facite*, et cum curatis leprosis, eos ad sacerdotes remisit, dicens (Lucæ Cap. XVII. v. 14.): *Ite ostendite vos Sacerdotibus;* istis vero cum Pharisaeis tentantibus eum, et dicentibus, an liceret dare censum Caesari, an non, respondit (Matt. Cap. XXII. v. 21.): *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei Deo;* et cum jussit Petro, ut inventum staterem in ore piscis, pro se et, ipso in tributum daret et censum (Ibid. Cap. XVII. v. 36.).

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 244. *Objic*: 1. Forum conscientiae est forum Dei; Atqui nullus hominum potest in foro Dei obligare; Ergo falsa propositio. Prob: min. Nullus inferior habet potestatem in foro superioris obligandi; Ergo etc.

§. 145. R. dist: antec: quando a superiore sibi est vetitum, conc:, quando non solum non est vetitum, sed respectu dignitatis, et officii, expresse concessum, nego antec:, et consm. Cum Deus noscat abscondita cordis, et ipsi conscientiæ arcana sint cognita, quae nulli mortalium, uti par est, revelantur, conscientiae forum Dei est, et Deus est qui vi propria, et potestate in conscientiae foro homines obligat, nullusque hominum est, qui vi sibi propria id possit. At quoniam Deus visibilem hunc Mundum per visibiles suos Reges, et Ministros regere decrevit et gubernare; Unde et per ipsum, et nomine, et vice ipsius *Reges regnant* (Prov. Cap. VIII. v. 15.), *Principes imperant* etc: dedit quoque eis facultatem, ut Leges conderent obligantes in conscientia, et ita quidem, ut qui eorum legibus obtemperare detrectant, Dei ordinationi resistunt, et Deo non obediunt; unde in iram ejus incidunt, et sibimetipsis damnationem inferunt. Cum ergo Reges, et Principes vices Dei gerant, et ab eo potestatem habeant ferendi Leges, proculdubio ipsae Leges obligant in conscientia.

§. 146. *Contra.* Atqui hujusmodi potestas a Deo Regibus facta condendi Leges obligantes in foro conscientiae nulla est; ergo stat argumentum. Prob subm. Obligare in conscientia est obligare sub reatu culpae in hac vita, et sub poena sive Purgatorii, sive Inferni in altera; Atqui nullus hominum haec infligere potest; Ergo hujusmodi etc.

§. 147. R. admissa maj; dist: min: directe, primario, et immediate, conc:, indirecte, secundario, et mediate, sive consequutione quadam, nego min: et consm. Esto hominum nullus directe, et primario, uti expositum est, suis Legibus possit in conscientia obligare, quia Legis humanae ut sic inspectae, et uti lex hominis est, violatio, ad tantum non extendi videatur; bene tamen potest indirecte, secundario etc. Nam cum Deus dicat, omnem potestatem

esse a seipso, ac vices ipsius in hoc mundo Reges agere; jubeatque propterea homines, ejusmodi subditos esse non solum propter metum, sed etiam propter conscientiam; profecto qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit, et Legem Dei, eodem tempore, violat quae jubet obediendum esse Principibus, eorumque Leges servandas. Igitur si non directe, indirecte saltem possunt homines infligere poenas etc., uti in argumento.

§. 248. *Contra:* Atqui nullo pacto potest humanus Legislator poenas infligere, quae ad futurum saeculum spectant; Ergo n. r. Prob: subsm. Si Legislator profanus posset hujusmodi poenas infligere, a fortiori posset homines excommunicare; Atqui hoc non potest; Ergo etc.

§. 249. R. Neg. maj: Deus optimus Maximus ad hujus Mundi gubernium duo potestatum genera constituit, atque inter se distinxit; alteram nempe profanam, et mere terrenam, quae hominum gubernium quoad res mundanas, et temporales respiceret; spiritualem alteram, et quae spiritualia bona animae, atque Ecclesiasticas res, et ad Divinum cultum, et Religionem spectantes moderaretur. Potest ergo Princeps saecularis sua Lege obligare homines in conscientia, non quia Principes profanus est, sed quia ita disposuit Deus praecipiendo obedientiam illius Legibus, pro transgressione suae Legis habens, Legis illius transgressionem. Non potest autem aliquem ex communicare quia excommunicandi facultas Ecclesiae Proceribus data est. Cum enim excommunicare aliquem sit illum extra Ecclesiam ejicere, a reliquorum fidelium consortio sejungere, atque quibusdam bonis spiritualibus privare, profecto ad solam Potestatem Ecclesiasticam id facere spectat. Adeoque etc.

PROPOSITIO II.

Quoties materia est gravis, aut voluntas Legislatoris est graviter obligandi, graviter peccat, qui Legem transgreditur sive Ecclesiasticam, sive Civilem.

§. 250. Prob. Leges sive Ecclesiasticae, sive Civiles obligant in conscienia (§. 243.); Ergo qui eas trangreditur agit conta conscientiam; Sed qui agit contra conscientiam peccat (§. 43.) graviter vel levitur prout materia gavis est, vel levis; Ergo etc. Deinde qui Legibus non obtemperant, ex Apostolo Paulo (Roman. Cp. XIII. v. 4.), Dei ordinationi resistunt, et sibmetipsis damnationem adquirunt; Atqui damnationem sibi adquirere nequeunt, qui non peccant; Ergo ui Leges transgrediuntur peccant; adeoque etc. Pieterea apud Matthaeum ait Christus (Cap. XVIII v. 17.): *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus;* hoc est excommunicatus, t publicus peccator; Atqui ab Ecclesia excommunicai est gravis poena, quae gravem culpam supponit atque ut publicus peccator haberi est magna infania, quae magnum peccatum arguit; Ergo qui Ecclsiam, hoc est potestatem legislativam Ecclesiastica non audit, gràviter delinquit, et est magnus peccaor; Adeoque etc. Jure proinde Alexander VII. han damnavit Ppropositionem (23. in Ord.). *Frangen jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat rortaliter*, et Innocentius XI. hanc aliam (55. in Ord): *Praeceptum servandi Festa non obligat sub matali, seposito scandalo; si absit contemptus.*

PROPOSITIO III.

Peregrini tenentur servare Leges territorii, in quo versantur.

§. 251. Prob. Peregrini extra proprium territorium degentes, Legibus ipsius non tenentur; Ergo servare tenentur illas Leges, quae propriae sunt territorii, in quo degunt. Probatur consequentia. Si peregrini non tenerentur servare Leges territorii, in quo versantur 1. essent exleges, quod permitti nequit; 2. perturbarent ordinem territorii, darentque occasionem plurimis scandalis; 3. contra voluntatem Legislatoris agerent, qui Leges praescribendo, voluit omnes obligare, ut gubernium sui territorii esset ordinatum, uniforme, et omnibus commune; Ergo etc. Hinc ex S. Augustino (Epist. 86. ad Casulanum in f.) illa S. Ambrosii sententia: « Cum Romam venio, jejuno » Sabbato; cum Mediolani sum, non jejuno: sic e» tiam tu; ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus » morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, » nec quemquam tibi ». Unde et hi quoque versus circumferuntur.

Si fueris Romae; Romano vivito more
Et si sis alibi, vivito sicut ibi (1).

(1) Vid Frassen Tract. IV. de Legibus Disp. IV. art. 1. q. II. Concl. 4. Anacletum Tract. II. Dist. VII. q. 3. et seq.

PROPOSITIO IV.

Incolæ alicujus territorii non tenentur Leges proprii territorii servire, dummodo extra eum vagantur.

§. 252. Prob. ex illo axiomate communi: *Extra territorium jus dicenti non paretur impune*: Hinc Bonifacius VIII. declarat (1), quod *statuo Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, sententia excommunicationis promulgatur, subditi ejus extra Dioecesim furtum committentes minime ligari noscuntur*. Et sane: Cum Legislator fert aliquam Legem, fert eam pro bono communi territorii suae jurisdictionis, unde non potest eos obligare ad eam observandam, qui extra suum territorium degunt, et subditi ipsius actuales non sunt; Deinde incolae alicujus territorii Legibus illius obligantur (§. 251.), fortiori jure ac peregrini; Ergo non possunt Legibus proprii territorii, a quo absunt, obligari; Adeoque etc.

PROPOSITIO V.

Ut Lex obliget requiritur ejus promulgatio; non omnis tamen eodem modo.

§. 253. Prob. 1. p. Nam ut quis ad Legem aliquam servandam obligetur, requiritur, ut ei Lex illa innotescat, qui enim voluntatem Legislatoris ignorat, nequit eam implere; Atqui Lex tunc subditis innotescit, cum is promulgatur (§. 65.): Quare Lib. IX. C. de Legibus habetur: *Leges sacratissimae, quae constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi, praescripto earum manifestius cognito, prohibita declinent, permissa sectentur*. Ergo etc.

---

(1) C. ut animarum de Const. in 6.

§. 254. Prob. 2. p. Vel loquimur de Legibus Imperialibus, et certum est (1), ea, ut obligent, debere promulgari in singulis Provinciis. Vel de Legibus Regis independentis; et sufficit si Lex in sola Curia promulgetur, quia ob frequentes ad Curiam accessus, et recessus, Lex facile ad subditorum totius Regni notitiam pervenire potest. Vel tandem loquimur de Legibus Pontificiis, et attenta antiqua praxi, et consuetudine Ecclesiae, eae publicari debent in singulis Provinciis, nisi aliud exprimat Pontifex. Nam cum de rei natura una sufficiat promulgatio, potest Pontifex unam requirere, et ea sola declarare, Legem esse sufficienter promulgatam; adeoque omnes obligare, perinde ac si in singulis Provinciis fuisset promulgata. Id enim ipse potest ob potestatis plenitudinem a Christo acceptam, quam Canonicum aeque ac jus Civile eidem merito vindicant. Nec desunt exempla promulgationis Legum factae Romae tantum, quae simul omnes fideles obligarunt. Ne autem hoc nimis durum, alcui videatur, observandum est, Romae et Principes, et Episcopos fere totius Universi, habere Procuratores, per hos itaque, qui negotiorum caussa Romanam Curiam frequentant, Lex, licet Romae tantum promulgata, intentione expressa, omnes obligandi, ad notitiam Principum, atque aliorum Praelatorum facile pervenit, et sic dicitur sufficienter promulgata, licet non fuerit, nisi tantum Romae (2).

---

(1) Ex Anthent. ut factae nova Constitutiones Novella 66. inter illas Justiniani.

(2) Vid. Henno Tract. de Legibus Disp. III. q. V. Concl. 3.

PROPOSITIO VI.

In Regnis Monarchicis, et Aristocraticis, Lex Civilis, ut obliget, non indiget populi acceptatione.

§. 255. Prob. Nam si Legis civilis obligatio a populi acceptatione penderet, suprema potestas legislativa non in Rege, sed in populo resideret; Jam vero potestas ferendi Leges in Regnis Monarchicis, et Aristocraticis non in populo, sed in Regibus, et supremis Magistratibus residet (§. 238.); Ergo etc. Hinc jure, meritoque ab Alexandro VII. damnata fuit sequens propositio (In Ord. 28.): *Populus non peccat, etiamsi absque ulla caussa non recipiat Legem a Principe promulgatam.*

PROPOSITIO VII.

Lex Canonica, ut obliget, non est necessaria populi acceptatio, nisi in aliud Legislator Ecclesiasticus consenserit.

§. 256. Prob. Nam Ecclesiae Praelati sunt Pastores, fideles sunt oves; Atqui oves debent vocem Pastoris audire, ejusque jussis obtemperare, non secus ac voci ipsius Christi Domini pastoris principalis animarum, juxta illud (Lucae Cap. X. v. 16.): *Qui vos audit, me audit;* Ergo etc. Praeterea si Legis Canonicae obligatio ex populi acceptatione penderet, Ecclesiae gubernium non esset penes Ecclesiam ipsam, sed penes populum; Atqui Petro, et Romanis Pontificibus dixit Christus: *Pasce oves meas* (Joannis Cap. XXI. v. 37.): Apostolis dixit ipsemet (Matth. Cap. XVI. v. 19.): *Quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in Cœlo;* Episcopis dixit Paulus (Actorum Cap. XX. v. 28.): *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit*

Episcopos regere Ecclesiam Dei; Ergo etc. Tandem si Lex Canonica ut obligaret, fidelium acceptationem requireret, possent fideles aliquando Ecclesiam non audire; Sed si quis Ecclesiam non audierit habendus est sicut Ethnicus et publicanus; Ergo etc. Id tamen intelligendum, nisi in aliud Legislator Ecclesiasticus consenserit. Nam ex antiqua consuetudine, Concordatorum Lege firmata, in nostro Regno Neapolitano, Rescripta Pontificia, mandata, Brevia, Bullae, Constitutiones, aut aliae quaecumque Literae Romanae Curiae, ut in foro externo vim habeant, *Regio exequatur* indigent, neque id officere putandum est, vel pientissimi nostri Regis religioni, vel supremi Hierarchae in Ecclesiam jurisdictioni; quinimo cum hoc sit Apostolicarum Constitutionum munimen adversus obtrectatores, et rebelles, illius religionem potius, atque istius supremam jurisdictionem maxime commendat.

Quæres. *Quid sit Lex pœnalis, et num obliget in conscientia?*

§. 257. R. 1. Lex poenalis est illa, quæ poenam transgressoribus imponit, spiritualem si est a potestate Ecclesiastica, temporalem si est a potestate Civili. Eaque duplex est *pure pœnalis, et mixta.* Prior est illa, quæ ad poenam aliquam subeundam transgressores obligat; secunda vero ad poenam simul et culpam adstringit. Insuper Lex poenalis alia est *latae*, alia *ferendæ sententiæ*; Prima transgressorem ligat poena, absque alia Legislatoris declaratione; veluti cum ita exprimitur: *ipso facto, ipso jure, ex tunc etc. sit excommunicatus, suspensus; officio privatus. etc.* Secunda vero non ligat, nisi post latam judicis sententiam, veluti cum ita exprimitur: *excommunicabitur, suspendetur, reus erit etc.* De Lege pure poenali hic est sermo.

§. 258. R. 2. Multae Leges pure poenales obligant in conscientia, at non omnes. Et quoad primum

patet. Nam qui poenam a Legislatore taxatam non solvit, is certe illius Legi non paret; potestati ergò resistit; Sed qui potestati resistit peccat, et sibimetipsi damnationem adquirit (§. 250.); Ergo etc. Quoad secundum, etiam patet. Nam multi Ordines Regularium sunt, qui Constitutiones habent, quae ne quidem ad culpam venialem obligant (dummodo contemptus absit), sed solummodo ad certas aliquas corporales poenas. Ergo etc.

Quaeres. *Quid sit Epicheja?*

§. 259. R. Epicheja est prudens, rationabilis, et benigna Legis interpetratio, qua declaratur, casum aliquem peculiarem, ob aliquas circumstantias occurrentes, non includi in Lege; licet ista fuerit generaliter lata.

Quæres. *Num liceat aliquando uti Epicheja?*

§. 260. R. affirm. Nam cum Leges humanae universaliter ferantur, dari possunt, et dantur quandoque casus peculiares in certis circumstantiis, qui in Lege generaliter lata non comprehendi, rationabiliter judicantur, ex mente ipsius Legislatoris, et ne Lex evadat vel Communitati noxia, vel impossibilis. Prohibet Lex, ex. gr., ne quis propria auctoritate arma ferat. En hostes Patriam invadere conantur, ut omnes Cives perdant, et bona diripiant, quid agendum? Licebit profecto civibus arma sumere, et cum hostibus pugnare.

Quæres. *Quid sit consuetudo, et quotuplex?*

§. 261. R. 1. *Consuetudo* hic, *est jus quoddam moribus institutum, quod cum Lex deficit, pro Lege suscipitur.* Consuetudo triplex est; nempe 1. *secundum Legem*; 2. *præter Legem*; 3. *contra Legem.* Prima supponit Legem sibi uniformem; Secunda nullam præsupponit Legem contrariam, et adservantem. Tertia Legem contrariam supponit.

Quæres. *Num consuetudo possit aliquando novam Legem inducere, aut veterem abrogare?*

§. 262. R. Consuetudo praeter Legem, novam Legem inducit, et consuetudo contra Legem, veterem Legem abrogat, quoties hae adsunt conditiones, nempe 1. quod sit *rationabilis*; quod namque rationabile non est, nequit Legem novam inducere, aut veterem abrogare, cum Lex debeat esse rationabilis; 2. Quod sit *ex publica liberorum actuum frequentia*: nam actus vi, metu gravi, vel errore exerciti, cum non fiant ab homine sua libera facultate utente, humano modo non fiunt; unde per hos actus introducta consuetudo, non est rationabilis; adeoque nec novam Legem inducere, nec veterem abrogare potest. Actus praeterea isti publici esse debent; si enim sunt privati, et occulti, sicuti dici nequeunt ex totius Communitatis, aut Principis consensu exerciti, ita nec vim Legis inducere possunt, nec oppositam Legem abrogare. 3. Quod *congruo temporis intervallo duret*; spatio nempe decem annorum, ut multis placet. Non enim quaelibet consuetudo, sed *inveterata consuetudo pro Lege custoditur* (Lib. 31. ff. de legibus.); inveterata autem consuetudo dici nequit, quae saltem per decem annos servata non fuerit. 4. Quod adsit *Principis consensus*. Si namque Princeps neque tacite, neque expresse consensit, sed resistit, consuetudo est damnabilis abusus, neque unquam praevalere poterit. 5. Quod *animo obligandi inducatur*. Etenim consuetudo ex voluntate populi se obligantis, et Principis consentientis vim habet. Cum ergo sine animo obligandi inducitur, et Lex vigens in suo robore manet, et Lex nova non inducitur. Ultimo tandem, loquendo praesertim de consuetudine contra Legem, requirunt Theologi permulti, quod reperiatur *bona fides*. Et sane si in aliis præscriptionibus bona fides requiritur quare requirenda non est in præscriptione contra Legem? At si hoc erit, dices, nulla consuetudo contra Legem poterit Legem abrogare; quia illi, qui eam consuetudinem inducunt, certe bona fide id non agunt.

Bene quidem; sed licet qui eam consuetudinem primo induxerunt bonam fidem non habuerint, hebent tamen qui eam sequuntur; qui enim sciente, et tollerante Principe contra Legem agit, mala fide non agit cum sopponat Principem tacite consentire abrogationi suæ Legis.

Quaeres. *Quis possit a Legibus humanis dispensare?*

§. 263. R. Dispensatio est obligationis Legis relaxatio, ab habente legitimam potestatem, in aliquo casu, aut in persona particulari facta, in iis circumstantiis, in quibus Lex alioquin obligaret. In Lege ergo humana potest dispensare Legislator ipse, vel ejus successor in eadem potestate vel jurisdictione, aut ejus superior; nullus autem inferior potest in Lege superioris dispensare, nisi ei concedatur. Nam illius est in Legem dispensare, cujus est Legem condere; quia sicut poterat Legem non ferre, aut ab initio aliquem sua Lege non comprehendere, ita et deinceps potest ab ea eximere. Inferior autem, cum jurisdictionem in Legem superioris non habeat, non potest in ea dispensare. Potest autem si superior talem facultatem ei concedit.

Quaeres. *Quænam causæ requirantur ad licitam dispensationem?*

§. 264. R. Ut dispensatio facta a Legislatore, vel ejus superiore, aut successore sit licita, requiritur justa caussa. Nam, qui sine caussa justa dispensaret, non esset fidelis dispensator a Deo super familiam suam constitutus, sed pessimus dissipator; neque potestate dispensatoris in ædificationem, et conservationem boni communis uteretur, sed in destructionem. Quare Tridentina Synodus (Sess. XXV. Cap. XVIII.) jubet, ut non dispensetur sine justa, et urgenti caussa. Quod si dispensator sit ex concessione, et illa abutatur, tunc dispensatio nedum est illicita, sed etiam invalida; nam superior, qui dat inferiori

facultatem dispensandi, non censetur velle, ut ea abutatur, sine justa caussa, dispensando.

CAPUT IX.

De Ecclesiæ Præceptis.

§. 265. *Animad.* Multa ab ipso Apostolorum tempore, et sequentibus postea sæculis, ab Ecclesia pro recto fidelium regimine, sancta, atque salubria edita sunt praecepta. Generaliora tamen, et fidelibus omnibus magis communia, sex potissimum numerari solent; nempe I. *Missam audire diebus Dominicis, aliisque Festis præceptis.* II. *Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum jejunia observare; necnon Feria sexta, et Sabbato ab esu carnium abstinere.* III. *Semel saltem in anno confiteri.* IV. *Sacram Eucharistiam saltem in Paschate Resurrectionis sumere in propria Parochia;* V. *Decimas Ecclesiæ solvere;* VI. *tandem, Nuptias temporibus vetitio, non celebrare.*

§. 266. Vi primi Ecclesiae praecepti, omnes et singuli fideles usum rationis habentes, et impotentia sive physica, sive morali non impediti, tenentur Dominica, aliisque Festis Sacerdoti Missam celebranti adesse, praesentia saltem morali, qua unum corpus cum aliis fidelibus efficere censentur, et ab eodemet integram Missam, vel saltem tres principaliores Missæ partes audire, pia attentione, et intentione animi, externa quoque corporis modestia, et conformatione vultus, et vestitus. Quare.

§. 267. *Coroll*: Praeceptum hoc non observant, qui inter fideles, nulla impotentia impediti, et sola negligentia, ne dicam contemptu, Missam non audiunt: qui dum Missa celebratur, quin ad Sacra tremenda, quæ peraguntur attendant, aut de negotiis sæcularibus fabulantes, tempus insumunt, aut

hac illac oculos convertunt ut ingredientes, et exeuntes conspiciendo, vultum inveniant, in quem delectentur. *Non enim*, ajebat S. Antoninus (II. P. Tit. IX. Cap. X. §. 2.), *debent fideles ad Missam, vel Ecclesiam accedere, ut videant, vel videantur ab amatoribus suis. Nam tales non implent præceptum illud Ecclesiæ.* Neque minus praeceptum hoc Ecclesiae violant, mulieres illae circumornatae ut similitudo templi, et habitu meretricio potius, et a Christiana, ne dicam naturali, modestia alieno, ad Ecclesiam se conferunt; ut eas videntes, dubitare possemus, num potius ad theatra saltaturae, quam ad Ecclesiam Missam auditurae pergant. Tandem praeceptum hoc non implent, qui ab eodem Sacerdote, ab Epistola saltem usque ad finem, Missam non audiunt, aut eam integram quidem audiunt, sed in aliquo sacello privato alicujus familiae, in quo non omnes Missam audientes, Ecclesiae præcepto satisfacere declaratum est.

§. 268. Secundo Ecclesiae praecepto fidelibus jejunium imponitur; *nempe* 1. *abstinentia a quibusdam cibis*, veluti a carne, et lacticiniis in Quadragesima, Quatuor temporibus, aliisque Vigiliis; et abstinentia a carne solum Feria sexta, et in Sabbato; 2. *Unica in die refectio*; eaque, 3. *hora competenti sumenda*: nempe circa meridiem, ut hodie est in usu. Hinc

§. 269. *Coroll.* Contra hoc Ecclesiae præceptum agunt, qui sine justa, rationabili, et probata causa; ætatis nempe, infirmitatis, laboris, paupertatis, etc.: aut carnem et lacticinia in Quadragesima, Quatuor temporibus, aliisque in Vigiliis comedunt: aut ab esu carnium die Veneris, et in Sabbato non abstinent: Aut pluries in die comedunt (excepta collatiuncula quæ in sero sumitur); aut dispensati a jejunio, quoad esum carnium, epulas miscent; hoc est pisces, et carnes in eadem refectione sumunt. Illi, qui statutam refectionis horam non servant; Atque illi tandem,

ut alios taceamus, qui pluries parvum aliquid comedunt, ut ad notabilem quantitatem perveniant.

§. 270. Tertio Ecclesiae praecepto, jubetur ut omnes, et singuli fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, semel saltem in anno confiteantur (Trident. Sess. XVI. Cap. V.): « Ad confessionem, » inquit S. Thomas (In supp. q. XI. art. 3.), » dupliciter obligamur. Uno modo ex jure divino. . » . . . . Alio modo ex praecepto juris positivi, et » sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiae, edita » in Concilio Generali sub Innocentio III.; tum » ut quilibet peccatorem se recognosceret, quia om» nes peccaverunt, et egent gratia Dei; tum ut cum » majori reverentia, ad Eucharistiam accedatur; » tum etiam ut Ecclesiarum Rectoribus sui subditi » innotescant; ne lupus intra gregem lateat ».

§. 271. *Schol*: Quonam vero praecise anni tempore praeceptum hoc adimplendum sit, non satis constant apud Doctores. Illud certum est, conscium peccati mortalis, in mortis periculo, et eo magis in articulo, teneri peccata sua Sacerdoti confiteri, ne damnationis æternae jaculo confodiatur; item cum præceptum Eucharistiae sumendae urget, ne indigne sumendo Christi Corpus, judicium sibi manducet. Cæterum puto, tempus annuæ confessionis adimplendæ aptius esse illud Quadragesimæ. Illud namque tempus acceptabile est, et salutis, quo per jejunium, et alia poenitentiae opera, Dei misericordia imploratur, atque obtinetur. Misericors namque, et miserator Dominus complens sua promissa, statim ac peccator vere poenitens ad Sacerdotis pedes provolutus, peccata sua confitetur, et conversus a via sua mala ad ipsum redit, illum ex corde amplexatur, eique peccata dimittit.

§. 272. *Coroll.* Ex his abunde patet quanto flagitio se reos efficiant, qui lethalis culpæ conscii, ne quidem semel in anno confiteri volunt, aut sacrilege,

et invalide confitentur, parvipendentes ita et Dei amicitiam, atque gratiam, et jussa Ecclesiae, et Spiritus Sancti dona, ipsamque æternam salutem, quasi foedus percussissent cum morte, et cum inferno fecissent pactum.

§. 273. Quartum præceptum importat, ut saltem semel in anno, in Paschate Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi ad Sacram Eucharistiam, ea qua decet animi puritate, cordis munditia, et corporis compositione, et modestia tam in abitu, quam in gestu, sumendam accedamus. De hac Eucharistiæ sumptione, jam Christus præceperat, dicens (Ioannis Cap. VI. v. 54.): *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ecclesia vero in Concilio Lateranensi IV: statuit, in Paschate hoc Sacramentum esse suscipiendum; ait siquidem: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem caussam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum*; Et ita quidem, *ut si quis negaverit*, subjungit Tridentina Synodus (Sess. XIII. Cap. IX.), *omnes; et singulos Christifideles utriusque sexus, eum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis; saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ; anathema sit.*

§. 274. *Coroll.* Contra hoc praeceptum agunt et graviter peccant, quin etiam Ecclesiastico interdicto supponuntur, qui in tempore Paschali, juxta locorum legitimam consuetudinem; plus minusve extensum, sine rationabili caussa excusante, Eucharistiam non suscipiunt. Similiter praeceptum hoc non implent imo ex Apostolo (Epist. I. ad Corinth. Cap. XI. v. 29.) *judicium sibi manducant*, ingrati illi, atque

scelestissimi fideles, qui scienter, indigne corpus Domini manducant. Oninimo in casum reservatum cum excommunicatione ipso facto, in Diœcesi Neapolitana incidunt omnes, qui in Paschate non communicantes, ab aliis dolose accipiunt schedulas, vel chartulas, quæ eo tempore distribui solent in Ecclesia Metropolitana, vel in Parochiis, ut fidem Parocho exhibeant de peracta Communione. Item illi, qui easdem non communicantibus, quomodcumque accomodant, in fraudem, aut utrumque cooperantes.

§. 275. Quintum Ecclesiae Praeceptum obligat ad Decimarum solutionem. Praeceptum hoc partim Divinum est, partim Ecclesiasticum in nova Lege. Divinum quidem: *dignus est enim operarius mercede sua* (Lucae Cap. X. v. 7.), ait Christus Dominus, et justum est, atque rationabile, ut qui altari servit de altari et vitat. Ecclesiasticum vero, quia nullibi in Libris novi Foederis invenitur, Decimas omnium quæ possident, debere fideles Ecclesiæ solvere, ut olim in Lege veteri praescriptum erat; Quare standum est his, quae Ecclesia in variis locis pro honesta Clericorum substentatione, et Sacrorum Templorum nitore servando, censuit a fidelibus praestanda. Quapropter.

§. 276. *Coroll.* Contra hoc praeceptum agunt hujusmodi Decimas non solventes, aut defraudantes, aut eas ab Ecclesia consequi impedientes (nisi Ecclesiae, et Sacrorum Ministrorum congruæ substentationi, per publicam auctoritatem, aliter fuerit provisum, quemadmodum est in hoc nostro Neapolitano Regno (1)); gravemque culpam committunt, et contra Religionem et contra justitiam: contra Religionem quidem, quia Decimae Deo debentur in signum universalis domi-

(1) Vid. Concina Tomo V. Theologiae Christianae Lib. III. pag. 262. in nota.

nii, quod super omnia habet, unde qui eas non solvit, aut defraudat, sacrilegium committit; contra justitiam vero, quia justum est ut fideles suis facultatibus provideant Sacros Ministros de necessariis ad eorum honestam substentationem; Unde Apostolus ad Corinthios (Epist. I. Cap. IX. v. 11.): *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metemus?* Hinc qui Decimas non solvunt, a Tridentino excommunicari jubentur, his verbis (Sess. XXV. Cap. XII. de Ref.): *Cum Decimarum solutio debita sit Deo, et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt res alienas invadunt etc. Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.*

§. 277. Sexto denique Ecclesiae praecepto interdicitur Nuptiarum solemnium celebratio; illarum nempe, quae fiunt cum benedictione inter Missarum solemnia, et cum solemni sponsae traductione in aedes sponsi. Idque a Dominica prima Adventus inclusive ad Epiphaniam usque inclusive; et a die Cinerum inclusive usque ad octavam Paschatis inclusive. Sed de hoc videantur Theologi Morales de impedimentis Matrimonium impedientibus tractantes (1).

(1) De Praeceptis Ecclesiae vide Concina Tomo V. Theologiae Christianae. Bibliothecam Lucii Ferraris. Ex Charmes Tomo IV. Append. ad art. IV. de derogatione etc. Legis; aliosque Theologos, praesertim Morales.

TRACTATUS II.

De Virtutibus Theologicis.

§. 278. Inter alia innumera, quae Dei erga nos effusissimam benignitatem ostendunt, illud vel maxime relucet, quod in nostra justificatione per Baptismum, ac si parum esset, de peccatoribus justos, et de vasis irae facere vasa misericordiae, cum remissione peccatorum per Jesum Christum Fidem, Spem atque Charitatem nobis inserit (Trident. Sess. VI. Cap. 7.); Fidem certe qua eum cognoscamus; Spem ut ei inhaereamus, et ab eo bonum omne expectemus, Charitatem, ut eum diligamus. Quam bonus Israel Deus! De his ergo Virtutibus verba in praesenti Tractatu faciemus, ut magis glorificemus Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi.

CAPUT I.

De Virtute in genere.

§. 279. *Def.* Virtus in genere varie describitur (1); prout autem hic eam accipimus, describi potest: *Habitus perficiens substantiam intellectualem, et ad bonam rectamque operationem inclinans.*

§. 280. *Coroll*: *Subjectum* ergo virtutis est substantia intellectualis, vel sunt eae mentis facultates, quae ad agendum institutae sunt, et quae ab habitu, seu virtute, perficiuntur; *objectum* vero est ad rectam, bonamque operationem inclinare subjectum; substantiam nempe intellectualem.

§. 281. *Schol.* Virtus tripliciter dividitur; 1. nempe *ex parte subjecti*; 2. *ex parte objecti*, et 3.

---

(1) Vid. S. Bonavent. III. P. Centiloquii Sect. 36.

ex parte caussae efficientis. Ex parte subjecti, virtutes aliae sunt *intellectuales*, aliae *morales*. Primæ sunt illæ, quae intellectum perficiunt in cognitione veri, veluti *Sapientia*, *Prudentia*, *Ars*, sed praesertim *Fides infusa*; secundae autem sunt illae, quae hominis voluntatem perficiunt in affectione ad bonum honestum; uti sunt *Prudentia*, *Justitia*, *Fortitudo*, et *Temperantia*. Ex parte objecti; virtutes aliae sunt *Theologicæ*, aliae *morales*. Virtutes Theologicae ac supernaturales sunt illae, quae immediate, et principaliter versantur circa Deum, tamquam objectum *quod*, et formale, tales sunt *Fides*, *Spes*, *Charitas*. Virtutes morales, ac naturales sunt illae, quæ principaliter versantur circa aliquod objectum creatum, tamquam objectum formale, et terminativum quoad dirigendos mores, et moderandos affectus animi nostri, juxta dictamen rationis, uti sunt mox expositae virtutes cardinales; *Prudentia* nempe, *justitia* etc. Tandem ex parte caussae efficientis, Virtutes aliae sunt infusae, et *supernaturales*, aliae *adquisitae*. Virtutes infusae, et supernaturales dicuntur illae, quae vi naturali nequeunt comparari, sed ex intrinseca natura sua postulant, ut a Deo nobis immediate infundantur; tales sunt *habitus Fidei*, *Spei*, *et Charitatis*. Virtutes vero adquisitae dicuntur, quae a nobis, repetitis actibus, adquiri possunt, et adquiruntur reapse; veluti *habitus mansuetudinis*, *humilitatis* etc. Nos in praesentiarum de solis virtutibus Theologicis agemus. Itaque.

§. 282. *Def. Virtus Theologica*, nihil aliud hic nobis est, quam *habitus supernaturalis a Deo infusus*, *elevans animam*, *ut immediate feratur in Deum*, *tamquam objectum*.

§. 283. *Schol.* Porro virtutes Theologicas existere, easque tres esse, dogma Catholicum est ab Apostolo Paulo praedicatum, cum dixit (1): *Nunc*

(1) Epist. I. ad Corinth. Cap. XIII. v. 13.

autem manent Fides, Spes, Charitas, tria haec; atque in Tridentina Synodo declaratur, dum dicitur (Sess. VI. Cap. VII.): *in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, et Charitatem*. Et recte quidem; « Nam » facies animae superior, ait Seraphicus Doctor (1) » habet rectificari per Theologicas virtutes, et quan- » tum ad triplex objectum, quod est in Divinis; et » quantum ad triplex subjectum, quod est in nobis. » In Divinis est summa veritas, in quam nos diri- » git Fides in credendo, et assentiendo; summa Ma- » jestas, sive largitas, in quam erigit Spes in lau- » dando, et expectando; summa bonitas, cum qua » unit Charitas in complectendo, et diligendo. Tri- » plex etiam subjectum in nobis est, scilicet poten- » tia rationalis: quae ordinatur, sive rectificatur » per Fidem; irascibilis, quae per Spem; concupi- » scibilis, quae per Charitatem ». De singulis sigillatim pertactabimus. Ac primo

DE FIDE.

§. 284. Quamvis ex Apostolo Paulo (I. Cor: XIII. v. 13.) virtutes alias Theologicas, Charitas, ordine excellentiae superet; primum tamen locum inter eas Fides obtinet. Nam sicuti *sine Fide impossibile est placere Deo C.*, et eum salubriter cognoscere, ita nec in Deum sperare, nec Deum diligere possumus. Quis enim sperat in eum, aut eum diligit, quem non novit? Voluntas certe in incognitum tendere non valet juxta illud: *nihil volitum quin praecognitum*. Unde Augustinus: *Domus Dei credendo fundatur; sperando erigitur; et diligendo perficitur*. Fides ita-

(1) Contiloquii III. P. Sect. 36.

que in ordine generationis prima etc. Et recte quidem. Nam, ut loquitur idem Augustinus (Ser. 18. de Temp. c. 12.): « Nullae majores divitiae, nulli thesauri, » nulli honores, nulla Mundi hujus major est sub» stantia, quam Fides catholica quae peccatores ho» mines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, Ca» thecumenos beatificat, poenitentes reparat, justos » augmentat, Martyres coronat ».

CAPUT II.

De Fidei natura.

§. 285. *Animad.* Fidei vocabulum non ad rem unam significandam Sacris in litteris usurpatur. Aliquando enim accipitur pro *fidelitate* in complendis promissis; uti cum dicitur (Roman. Cap. III. v. 3.): *Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit?* Aliquando pro ipsa *promissione*; ut cum ait Paulus ad Timotheum (Cap. V. v. 12.): *Juniores viduae primam fidem irritam fecerunt.* Aliquando pro *extimatione*, qua quis gaudet, ut ejus dicta credantur; quo sensu dicitur in Ecclesiastico (Cap. XXVII. v. 17.): *Qui denudat arcana amici, fidem perdit*; Aliquando pro *attestatione* alicuius dicti; veluti cum legitur (Ecclesiast. Cap. XXIX. v. 19.): *Vir bonus fidem facit proximo suo.* Aliquando pro *fiducia* in Deum. Unde Christus Dominus Petro (Matth. XIV. v. 31.): *Modicæ fidei quare dubitasti?* Aliquando pro conscientia, ut cum dicit Apostolus (Roman. Cap: XIV. v. 23.): *Quod non est ex fide, peccatum est.* Accipitur tandem Fides, quod ad rem facit, pro virtute Theologica, seu pro habitu supernaturali, quo inclinamur ad assentiendum aliquibus veritatibus, propter summam dicentis veracitatem.

§. 286. Atque hoc sensu accepta Fides, ita describitur ab Apostolo (Hebraeo. Cap. XI. v. 1.):

Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.

§. 287. *Coroll.* Fides ergo ex Apostolo 1. certitudinem et firmitatem in nobis producit; 2. non est accidens, sed substantia, quæ scilicet facit in nostro intellectu subsistere tamquam praesentia, et certa, ea quae actu non habentur, sed sperantur. 3. est in intellectu; est namque argumentum, hoc est *probatio demonstratio*, *convictio;* argumentari autem ad intellectum pertinere notum est. 4. Est de obscuris; quia est *rerum non apparentium. Quæ etenim*, ait S. Gregorius (Homil. 26. in Evang.), *apparent*, *jam fidem non habent*, *sed agnitionem.* Hæc porro Theologis Catholicis explorata sunt, quoad alios vero non item; Sed de his

Variæ sunt Auctorum sententiæ.

§. 288. Manichaei namque, teste S. Augustino (L. de utilit. cred.), nihil credendum esse dicebant, nisi quod naturali ratione liquido demonstrari potest. Idispum non pauci perditissimi hujus temporis libertini effutire non erubescunt. Nec desunt quoque illi qui vestigiis Socinianorum inhaerentes, contra ac docet Corinthios Apostolus (Epist. II. Cap. X. v. 6.): *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, Fidem rationi, non rationem Fidei submittere volunt. Petrus Abaelardus Fidem in opinione, aut extimatione constituit; quare, quod in ea praecipuum est, certitudinem abstulit. Martinus Lutherus Fidem Theologicam, fiduciam esse dixit, qua credimus, peccatorum remissionem, nobis esse a Deo promissam. Tandem Joannes Calvinus Luthero quidem adhaerere visus fuit, excepto quod Fidem in cognitione Divinae misericordiae reposuit. Sed unde tot errorum monstra? Quia Ecclesiam Fidei magistram, et columnam veritatis audire nolunt. *Væ Prophetis*

insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident . . . . Vident vana, et divinant mendacium (Ezechiel. Cap. XIII. v. 3. 6.). Contra hos, aliosque ejusdem furfuris Sectarios sit.

PROPOSITIO I.

Non quod ratione naturali demonstrari liquido potest credendum est, sed quod captum superat humanum, et a Deo nobis est revelatum.

§. 289. Prob. Quod ratione naturali demonstrari liquido potest, certum, atque evidens est evidentia demonstrationis; in eo itaque Fides nec locum habet, nec meritum: non locum, quia quod ratione naturali ostendi potest, non Fidem parit, sed agnitionem (§. 287.); non meritum; Nam non ei adhaeremus quia a Deo revelatum, sed quia per rationem naturalem cognitum, et ostensum. Adeoque etc. Deinde: Homo in hoc praesenti statu ad assequendum suum ultimum finem doctrina indiget revelata (§. 12. Tom. I.); Ergo tenetur homo veritates a Deo revelatas credere. Atqui quae a Deo indigent revelari, ratione naturali nequeunt liquido demonstrari; Ergo credere debemus ea, quae nequeunt naturali ratione liquido demonstrari: Adeoque non quod etc. Hinc optime S. Augustinus (Cap. XI. in Joann.) *Credimus ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus.*

PROPOSITIO II.

Fides non est scientia, nec etiam opinio.

§. 290. Prob. Per scientiam, ex communi omnium sententia, intelligitur cognitio certa et evidens de objecto ut est in se; Atqui Fides, certa quidem est, sed inevidens et obscura; est quippe *argumen-*

tum non apparentium; et quod nunc per Fidem videmus, *videmus per speculum in enigmate* (1); Ergo Fides non est scientia. Sed nec etiam opinio. Nam opinio, quaecumque illa sit, non separatur a formidine de opposito, Fides autem certa est, et firma, quippe infallibili nititur testimonio; Ergo Fides non est opinio. Quare merito S. Bernardus ita Abaelardum urget (Epist. 19. ad Innocent. II.): « *Scio* » *cui credidi*, *et certus sum*, clamat Apostolus, et » tu mihi subsibilas, Fides est extimatio? tu mihi « ambiguum garris, quo nihil est certius? Sed Au- » gustinus aliter: Fides, ait, non conjectando, vel » opinando habetur in corde, in quo est ab eo, cu- » jus est, sed certa scientia, acclamante conscientia ».

PROPOSITIO III.

Fides Catholica non est certa, et specialis fiducia, qua quis credit per Jesum Christum sibi remissa esse peccata.

§. 291. Prob. Apostolus ad Ephesios scribens, ait (Epist. l. Cap. III. v. 16.). *In quo* (idest christo) *habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem ejus*; et ad Timotheum: *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu.* Ex quibus Pauli testimoniis ita liceat argumentari. Si fides esset fiducia, Fides, et fiducia essent unum et idem, neque ab invicem distinguerentur; Atqui, ex dictis, fiducia est a Fide diversa, et Fidem supponit, siquidem per fidem Jesu Christi, et in Jesu Christo acquiritur, et habetur; Ergo Fides Catholica etc. Præterea si Fides esset certa fiducia etc., qui Fidem haberet, posset esse certus de sua justificatione, et beata

(1) Epist. I. ad Corinth. Cap. XIII. v. 12.

prædestinatione; Atqui nemo fidelis, etiam justus, absque speciali Dei revelatione, certo scire potest se esse justificatum, et de numero prædestinatorum (§. 280. Tomi III.); Ergo etc. Quare Fides, et fiducia spem solummodo pariunt obtinendæ justificationis, et salutis æternae, cujus hac in vita certitudo a sola dumtaxat Dei revelatione dependet.

Exsufflantur objectiones Haereticorum.

§. 292. *Objicies.* 1. Talis est Fidei Catholicæ natura qualem tradit Apostolus; sed Apostolus tradit, eam esse fiduciam divinæ promissionis; ergo Fides non est assensus, sed fiducia. Prob. min: Hebraeorum 11. *Fides est sperandarum substantia rerum*: substantia rerum sperandarum, est certa expectatio divinae misericordiae; sed certa expectatio divinae misericordiae constituit fiduciam divinae promissionis: ergo Fides etc.

§. 293. R. concedendo auctoritatem, negando maj: Hac Pauli auctoritate non utuntur, sed abutuntur Hæretici. Siquidem substantiæ nomine, non intelligit Apostolus certam expectationem, sed basim et fundamentum rerum sperandarum; ita ut illius: *fides est sperandarum substantia rerum*, sensus sit: Fides est basis, et fundamentum rerum sperandarum. Hanc explicationem tradit S. Joannes Chrysostomus (Hom: 12. in epistola ad Hebraeos), qui exemplo se explicans, dicit: Resurrectio necdum facta est, et necdum est in substantia, sed Fides facit eam subsistere in anima nostra. Hoc est, quod Paulus dixit substantia.

§. 294. *Contra.* Atqui laudato in loco substantia significat expectationem; ergo etc. Prob. subs. Quae substantia latine, graece hypostasis dicitur; Sed hypostasis expectationem significat; ergo laudato in loco etc. Prob. min: Psalmo 38. v. 8. *substantia mea*, in Hebraeo, pro *substantia mea*, habetur *expectatio mea*; sed Septuaginta viri, Hebraicam linguam

in aliam vertentes, pro substantia posuerunt *hypostasim*; Ergo etc.

§. 295. R. concessa auctoritate maj:, et min: neg. consm. Ignoro ex quanam Logica didicerint Haeretici deducere conclusionem universalem ex praemisis particularibus: conclusio ex argumenti praemisis non est haec; ergo hypostasim expectationem significat. Mirum tamen esse non debet, quod Septuaginta pro expectatione dixerint hyposthasim; cum ergo cognoscerent, quod ibi expectatio rem expectatam significat, et res expectata est hypostasis, seu substantia, seu aliquid subsistens apud Deum, ideo in ea lingua merito verterunt; *et substantia mea apud te est.* Quare illa *expectatio* jure dicta fuit *hypostasis*, hoc est *substantia*. Expectatio tamen dici non potest illa substantia, de qua loquitur Apostolus; nam in primis Chrysostomus, linguae graecae peritissimus erat, nomine substantiae intelligit res sperandas per Fidem in anima subsistentes, ut supra vidimus. Et deinde ubi in aliis Pauli locis habetur latine substantia, graece habetur hypostasis, qua voce nunquam Paulus significat expectationem, sed substantiam, sic (Hebraeorum 1.): *Qui cum sit figura substantiæ ejus*, graece legitur hypostasis, et tamen non significatur *expectatio*, sed *substantia*, nam significat, quod Christus sit perfecta imago substantiae Patris.

§. 296. *Contra.* Atqui etiam Apostolus, cum dicit, *fides est sperandarum substantia rerum* significat expectationem, seu fiduciam divinae promissionis; redit ergo argumentum. Prob. ans. Fides, de qua hoc loco loquitur Paulus, est eadem cum Fide, de qua loquitur Rom: 4. *qui* Abraham *contra spem in spem credidit*; sed Paulus per illa verba *contra spem in spem credidit*, Abraham habuisse fiduciam significat divinæ promissionis; ergo etc. Prob: min. Pauli, post allata verba, hæc leguntur: *non haesitavit* (Abraham) *diffidentia* utique circa divinam promissionem: ergo

habuit confidentiam, seu fiduciam divinæ promissionis, quod nempe futurus esset pater multarum gentium.

§. 297. R. concedo ans, et dist: cons: habuit fiduciam, quae erat idem cum ejus Fide, nego consm; ex ejus Fide oriebatur, conc: consm. Abraham, cum Deus ei promisit, quod esset futurus pater multarum gentium, habuit quidem fiduciam, quae tamen ejus Fidem non constituebat, sed ex ejus Fide oriebatur: Fides enim, cum magna est, fiduciam producit, ut legitur (Matthaei 15.) de Cananaea, quae quoniam habebat Fidem ita magnam de Christi potentia, et misericordia, ut in eam produxerit etiam fiduciam recipiendi, quod quaerebat, inquit Christus: *O mulier magna est fides tua;* quod idem est, ac dicere; O mulier tu credis, quod ego sim Omnipotens, atque misericors, et inde confidis recipere, quod petis. Eadem ratione se habebat Abrami fides. Abraham credebat, Deum esse Omnipotentem, quod eodem capite Paulus ostendit, dicens: *plenissime sciens Abraham, quia quæcumque promisit* (Deus) *potens est et facere*, et tam firmiter hanc Dei omnipotentiam tenebat, ut quamvis ipse centum foret annorum, et Sarae uxoris ejus vulva foret emortua, ut Paulus loquitur: tamen non haesitavit diffidentia, hoc est habuit fiduciam divinae promissionis capiendae. Aliud ergo per Apostolum Fides in Abrahamo, fiducia aliud: Fide eredebat Deum esse Omnipotentem, fiducia ex Fide omnipotentiæ exorta, sperabat fore, ut consequeretur, quod ei Deus promittebat.

§. 298. *Contra*. Atqui Abrami Fides aliud non erat quam ejusdem fiducia divinæ promissionis; ergo etc. Prob subs. Eodem Cap. 4. ad Romanos, ait Paulus: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio.* Hoc in loco Apostolus docet, quod Abrahae posteri haeredes esse debent, non ex Lege, sed ex Fide Abrahami, ut hac ratione firmam habeant Dei promissionem, sicut Abraham habebat; sed habere

firmam promissionem, est habere fiduciam Divinae promissionis, cum fiducia sit, quae facit certo sperare, ergo etc.

§. 299. R. concessa auct: et majori, dist: min: Sed etc. est habere fiduciam a Fide productam, conc: min; eamdem cum Fide nego min; et consm. Ex jam supra tradita responsione, quid huic argumento reponendum sit, manifestum est; nam hoc etiam in loco, non vult Paulus, quod Fides Abrahami, et posterorum ejus sit idem cum fiducia; sed docet, eam esse ita magnam, ut etiam producat fiduciam, hoc est certam expectationem divinae promissionis. Siquidem Abrahami Fidem fuisse non circa promissionem, sed circa omnipotentiam, eodem capite ostendit Paulus, cum dicit; *Sed* (Abraham) *confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quaecumque promisit, potens est et facere*, ut supra diximus. Quare Fides Abrahami non erat ejus fiducia, sed fiduciae caussa; ideo namque fiduciam habebat recipiendi multam posteritatem, licet ipse, ejusque uxor senes forent, quia Fide confortabatur: hoc est ejus Fides eum fortem faciebat.

§. 300. *Objicies* 2. Fides est fiducia specialis Dei misericordiae de salute, et remissione peccatorum consequenda, si ad Fidem habendam haec fiducia præcipiatur; ita est; ergo etc. Prob min: In Symbolo Apostolorum dicto, a fidelibus haec exigitur Fides; *credo Sanctam Ecclesiam*; sed credere Ecclesiam sanctam est extimare, nullum amplius peccatum esse in Ecclesia, secus non foret sancta; et hoc extimare est habere laudatam fiduciam; Ergo Fides etc.

§. 301. R. dist: maj; Ob capitis et multorum filiorum sanctitatem, conc: maj; secus, nego maj:, et dist. min: In Ecclesia considerata ratione capitis, et aliquorum filiorum, conc: min; secus, n.; ergo etc. nego consm. Proponitur fidelibus credenda S. Ecclesia, quia Sanctus est. Christus ejus caput, et Sancti

sunt etiam plures ejus filii; non vero, quia omnes ejus filii Sancti sunt, cum ea, ex Christi verbis, sit area, in qua sunt paleae cum tritico, et rete, bonos, malosque pisces continens; nec non ex Apostolo, domus vasa et in honorem, et in contumeliam comprehendens. Quare cum proponitur credenda S. Ecclesia, non ita proponitur, ut unusquisque, qui est pars Ecclesiæ, credat se esse Sanctum, quod necessarium foret, ut inde deduci posset hæc Lutherana consequutio; ergo Fides est fiducia specialis promissionis Dei misericordiae de salute, et remissione peccatorum consequenda; Ergo etc.

§. 302. *Contra*. Atqui cum proponitur credenda S. Ecclesia, proponitur, quod unusquisque habeat fiduciam laudatae promissionis; ergo n. r. Prob subs. In eodem Symbolo, paulo post allata verba, hæc fidelibus proponitur Fides: *credo remissionem peccatorum*: Ergo etc.

§. 303. R. concesso antec:, nego consm. Nam illis Symboli verbis significatur, quod in Ecclesia sint remissiones peccatorum consequendae per Baptismum, et alia Sacramenta; et ideo in Symbolo Constantinopolitano pro illis verbis: *credo remissionem peccatorum*, *leguntur* haec alia: *confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.*

§. 304. *Contra*. Atqui illorum verborum: *Credo remissionem peccatorum* hic est sensus; credo mihi esse remissa peccata; ergo etc. Prob subs. Ecclesia suis fidelibus credendum proponere debet, quod Christus docuit; Sed Christus docuit; quod unusquisque fidelis credere debeat sibi esse remissa peccata. Ergo illorum verborum etc. Prob. min. Marci ultimo, dixit Christus: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit;* ergo Christus etc; adeoque etc.

§. 305. R. concedo ans, et nego consm. In hoc testimonio nulla promissio specialis habetur. Siquidem

ea Fides, quam imperat Christus, est Fides, qua credenda proponuntur omnia ea, quae in Evangelio continentur: quippe eodem in capite ait Christus: *prædicate Evangelium omni creaturæ*, et postea sequitur, *qui crediderit et baptizatus, fuerit* etc.; ergo quod hoc in loco credendum proponit hominibus, non est specialis promissio, sed est Evangelium; hoc est omnia ea quae in Evangelio continentur Ast in Evangelio continentur Christi Incarnatio, Divinitas, et plura alia, quæ non sunt promissiones. Quod vero spectat ad promissionem, nunquam in Evangelio legitur quod ea facta fuerit huic, vel illi homini in particulari, sed omnibus in generali. Quam generalem promissionem nullus sibi applicare potest, nisi certo sciat se adimplevisse ea quae ad eam habendam requiruntur, quandoquidem ex hac generali promissione: *qui crediderit, et baptizatus fuerit* etc: unusquisque baptizatus potest quidem conditionatam hanc illationem deducere: si ego credo, ut necesse est, salvus sum, non vero hanc aliam absolutam: ego credo ut oportet, et ideo salvus sum. Haec namque illatio absoluta, non in verbo Dei, sed in sola Haereticorum temeritate continetur.

PROPOSITIO IV.

Fides Catholica non est cognitio.

§. 306. Prob: ex Scripturis. Apostolus ad Corinthios scribens (I. Cap: XIII. v. 2.), ait: *Si noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem* etc: Cognitio itaque mysteriorum per Apostolum non est eadem ac Fides; distinguit enim ipse mysteriorum cognitionem a Fide. Deinde idem Apostolus (ib: Cap: XII. v. 8. et 9.), de Donis Spiritus Sancti agens, inquit: *Alii quidem per Spiritum Sanctum datur sermo sapientiae, alii au-*

tem sermo scientiæ . . . . alteri fides; Donum ergo sapientiae, atque scientiae; donum scilicet cognitionis, non est idem ac donum Fidei, alias illud ab isto non sejunxisset. Tandem idem Gentium Doctor ad Corinthios verba faciens, sic (Epist: II. Cap: X. v. 5.) scribit: *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, seu fidei.* Si ergo fides Catholica esset cognitio, quomodo intellectus, ad quem cognitio pertinet, in obsequium Fidei captivaretur? Intellectus humanus captivus certe non est, cum cognoscit quae sibi proponuntur objecta; sed solummodo cum cogitur assentiri rebus, quas non cognoscit, neque intelligit.

§. 307. Prob: 2. Ratione. Si Fides esset cognitio mysteriorum, vel promissionis Divinæ, vel Divinae benevolentiae, ubicumque esset talis cognitio, Fides quoque esse deberet; et vicissim ubi Fides, ibi et talis cognitio; Atqui dari potest, et datur reapse talis cognitio, quin simul adsit et Fides; sicuti datur Fides, quin simul detur talis cognitio; Nam fieri potest ut infidelis quidem noscat et mysteria, et promissiones divinas, et divinam benevolentiam, quin tamen habeat Fidem justificantem, quæ homines Deo acceptos efficit; et pariter esse potest, quod rudis homo habeat Fidem justificantem, quin tamen Religionis Mysteria, divinam benevolentiam, et promissiones haud clare, et distincte, sed solum confuse cognoscat. Ergo etc.

§. 308. Dices 1. Apostolus ad Hebraeos (Cap: II.) ait: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei;* Sed intelligere, est cognoscere; Ergo Fides est cognitio.

§. 309. R. conc: auct:, et dist: min: Sed intelligere etc: per apprehensionem et assensum, concedo min; per causas, et rationes, nego min, et consm. Fides efficit, quod efficiunt argumenta, sed alio modo. Argumenta efficiunt, ut intellectus rebus assentiatur per evidentiam ex causis, et rationibus ortam; Fi-

des vero efficit ut intellectus rebus pariter assensum præbeat, non tamen personae, sed propter revelantis auctoritatem, quod ostendit Paulus, cum ibidem dicit: *fides est . . . . argumentum non apparentium*: significare namque vult, quod intellectus per Fidem convincitur de rebus non apparentibus, sicuti per argumenta de rebus apparentibus. Quare cum Apostolus eodem in capite dicit: *fide intelligimus* etc: significat, nos per Fidem apprehendere, et firmiter tenere saecula esse a Deo aptata. Neque enim dici potest, quod Apostolus in capitis decursu Fidem sumat diverso sensu ab eo, quem initio capitis tradidit, cum eam definit, dicens: *est autem fides sperandarum substantia rerum* etc; imo nec credibile id est, cum ipse, probe sciret, homines non posse cognoscere, quomodo et cur Deus saecula aptaverit. Ibi igitur per Fidem non intelligit cognitionem, ortam ex rationibus, sed intelligit apprehensionem, quae Fidem praecedit, cum Fides sit ex auditu, et assensu, in quo Fides consistit. Id autem exprimit per verbum *intelligimus*, quia hac vocula generali, omnes intellectus operationes significari possunt.

§. 310. *Dices*: 2. Idem Apossolus (ad Timoth: Cap: 3.) reprehendit quosdam scelestos, ac Fide destitutos homines, dicens: *Semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes*. Ast eos hac ratione non objungasset, si Fidem in cognitione non consistere æstimasset.

§. 311. R. concessa maj: et nego min:. Etsi Fides in cognitione non consistat; attamen rerum divinarum scientia theologica utilis est, quia amorem Dei in corde semper magis accendit; unde illos Apostolus reprehendit, quia discentes alia diversa ab hac divina scientia, nunquam perveniebant ad scientiam veritatis, quae est scientia divina; et ideo destituebantur laudata utilitate, hoc est, in amore Dei frigidi erant, et enormia scelera patrabant.

PROPOSITIO V.

Fides theologica et justificans est virtus divinitus infusa, qua veritatibus revelatis firmiter assentimur.

§. 312. Prob. 1. p. Apud S. Matthaeum cum Christo interroganti respondisset Petrus (Cap. XVI. v. 16. 17.): *Tu es Christus Filius Dei vivi, respondens Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.* Fides ergo est ex divina revelatione, adeoque virtus divinitus infusa.

§. 313. Prob. 2. p. Quod nempe Fides sit assensus. Apud Joannem ita loquitur Christus (Ibid. III. v. 16.): *Sic Deus dilexit Mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*; et Marthæ loquens (Ibid. Cap. XI. v. 25. 26. 27.): *Ego*, inquit, *sum resurrectio et vita, qui credit in me . . . non morietur in æternum. Credis hoc; ait illi: utique Domine ego credidi, quia tu est Christus Filius Dei vivi, qui in hunc Mundum venisti.* In his testimoniis, ut patet, loquitur Christus de Fide justificante; qua nempe homo non perit, aut moritur, sed habet vitam æternam. Atqui hanc Fidem assensum esse dicit veritatibus a se revelatis; quod scilicet ipse erat Filius Dei unigenitus, vita, et resurrectio hominum etc; Ergo etc. (1).

---

(1) Vid. Trid. sess. VI. Cap. IV. Natal Alexan: Tomo I. Theolog. Dogma. et Moral. Lib. I. Art. III. §. 2. Concina Theol Christ. Dogm. Moral. Tomo I. Lib. I. in Decalog. Dis. I. de Fide Cap. IV.

CAPUT III.

De Fidei varia Divisione.

§. 314. *Animad.* Fides Theologica, de qua usque modo disputavimus, dupliciter consideratur; ut *habitualis*, nempe, et ut *actualis*.

§. 315. *Def.* 1. *Fides habitualis est virtus, seu qualitas quædam supernaturalis in intellectu residens per modum habitus, qua elevamur, et inclinamur ad credendum Deo, et veritatibus ab eo revelatis.*

§. 316. *Def.* 2. *Fides vero actualis est actus seu assensus ipse ex Fide habituali procedens, quo firmiter Deo revelanti, rebusque revelatis assentimur.*

§. 317. *Coroll.* Fides ergo secundum habitum inspecta, non est nisi una juxta illud Pauli ad Ephesios (Cap: IX. v. 6.): *unus Dominus, una Fides;* Unus namque idemque est habitus, quo veritatibus omnibus a Deo revelatis, atque ab Ecclesia propositis assentimur; inspecta vero secundum actum, multiplex est: sicuti enim multi sunt articuli nostrae Fidei, et variae veritates credendae, ita quoque et multi sunt, et varii actus Fidei, qui tamen ab una Fide habituali procedunt.

§. 318. *Schol.* Fides insuper actualis vel est *interna*, vel *externa*, item *explicita*; vel *implicita*; tandem *formata*, seu *viva*, et *informis*, seu *mortua*.

§. 319. *Def.* 3. *Fides interna est illa, quae in corde concepta, ibi remanet, quin aliquo signo exterius manifestetur; Externa* vero *est illa, quae per verba, aut alia signa exterius innotescit.*

§. 320. *Def.* 4. *Fides implicita est cum generatim veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis assentimur; Explicita vero cum aliquos Fidei articulos expresse, et nominatim credimus.*

§. 321. *Def.* 5. *Fides formata*, seu *viva*, est

illa quæ per charitatem operatur; seu est illa, quam bona opera comitantur. Informis vero, sive mortua est illa, quae a bonis operibus est sejuncta, et sine charitate existit.

§. 322. *Animad.* In praesenti capite de Fide habituali theologica loquimur, et quaerimus sit ne una an multiplex. De qua re variae.

Hæreticorum, atque Catholicorum sententiæ.

§. 323. Lutherus triplicem Fidem distinguit; *historicam* nempe, *miraculorum*; *et promissionum.* Per Fidem historicam illam intelligit, qua Sacrae Scripturæ narrationes creduntur. De hac loqui videtur Apostolus, cum ad Hebraeos scripsit (Cap. XI. v. 3.): *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* Per Fidem miraculorum intelligit eam, qua miracula patrantur; et haec quidem idem Apostolus innuit ad Corinthios scribens (Epist. I. Cap. XIII. v. 2.): *Si habuero omnem fidem, ita ut montes trasferam.* Tandem per Fidem promissionum eam intelligit, qua credimus, nobis a Deo promissam peccatorum remissionem; uti apud Marcum (Cap. ultimo v. 16.): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Atque hanc postremam asserit esse Theologicam Fidem justificantem. Lutherum sequuntur non pauci de Schola ejusdem. Sed ipsis, aliisque omnibus ejusdem furfuris adversantur Catholici omnes. Cum quibus et nos. Unde sit.

PROPOSITIO.

Fides habitualis non est triplex, ut vult Lutherus, sed una specie.

§. 324. Prob. Nam Paulus ad Ephesios scribens, ait (Cap. IX. v. 6.): *Unus Dominus, una fides;* et ad Corinthios hanc eamdem Fidei unitatem supponens, scripsit (Epist. II. Cap. IV. v. 13.): *Habentes eumdem spiritum fidei etc.* Ergo etc: Sed et hanc veritatem Christus ipse apud Marcum luculentissime ostendit, cum discipulis suis dixit (Marci ult. v. 16. etc.): *Prædicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit;* Evangelio nempe a me revelato, et a vobis prædicato, *et baptizatus fuerit, salvus erit*: En eadem Fides, qua quisque assentitur rebus revelatis narratis, assentitur promissionibus; estque propterea Fides quoque promissionum. *Signa autem, eos qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, et bene habebunt*; et en Fides miraculorum eadem ac illa promissionum; Adeoque etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 325. *Objic*: Habitus suam desumit unitatem ab objecto; sed Fidei plura sunt objecta; ergo Fides non est una, sed multiplex.

§. 326. R. dist: maj: Ab objecto, circa quod versatur, nego maj:, a ratione qua in objectum versatur, conc: maj; sed etc. dist: min. Non tamen plures sunt rationes quibus in objecta versatur, conc: min:, sunt plures, nego min, et consm. Non sunt objecta quae materia vocari solent, quae faciunt ut habitus sit unus, sed rationes quibus habitus circa objecta occupatur,

quae rationes objecta formalia solent vocari. Hinc etsi plura sint prudentiae objecta; attamen prudentia in se est una, quia omnia hujusmodi objecta eadem ratione attingit. Idipsum de Fide verum est, videlicet plura sunt quidem objecta Fidei, tot nempe, quot sunt veritates a Deo revelatae; quoniam vos Fides, non diversim sed eadem ratione has omnes veritates attingit, quatenus scilicet ab eodem Deo veraci sunt revelatae; hinc est quod Fides non sit multiplex, sed una, cum mens moveatur ad hujusmodi veritates credendas, non eas, bene vero divinam revelationem considerando.

§. 327. *Contra.* Atqui objectorum diversitas efficit, ut Fides non sit una sed multiplex; ergo etc. Prob. subs. Objectorum diversitas efficit ut non sit una, sed multiplices scientiae, puta Logica, Physica etc.; ergo pari ratione etc.

§. 328. R. dist. ans: Objectorum diversitas tantum, nego ans; diversæ etiam rationes, quibus objecta attinguntur, conc. ans; ergo etc:, nego consm. Ratio, cur scientiae plures sint, et inter se distinguantur, non est quia plura sunt objecta, circa quæ occupantur: sed quia diversi sunt modi, quibus circa hujusmodi objecta versantur. Hinc ideo Logica, Ex: gr:, est distincta a Physica, quia Logica ratione diversa a modo quo Physica, suum objectum contemplatur; nempe Logica contemplatur mentis operationes, quatenus ad verum dirigibiles sunt, Physica vero contemplatur corpus, quatenus est naturale: atque hi diversi modi, hæ diversae rationes, distinctas atque diversas, hujusmodi scientias efficiunt, non vero objectorum diversitas, quia licet objecta quae â Logica considerantur, sint plura, et inter se diversa, puta apprehensio, judicium, etc, non tamen sunt plures, sed una est Logica. Iam vero plura quidem sunt objecta circa quae Fides occupatur; at ratio, qua Fides circa hujusmodi objecta occupatur est una; est enim unus, idemque Deus eas revelans; Ergo Fides est una.

§. 329. *Contra*. Tradita responsio est contra mentem D. Pauli. Ergo nulla. Prob. ans. D. Paulus docet, quod Fides non sit una, sed multiplex; ergo etc. Prob. ans. D. Paulus docet, quod sit una Fides, sicut est unum baptisma; atqui baptisma non est unum, sed multiplex cum aliud sit baptisma fluminis, aliud flaminis, aliud sanguinis; ergo etc.

§. 330. R. concessa maj: distinguendo min: Atqui etc: in se, et quoad propriam naturam, nego min, ratione effectus, conc: min:, et nego consm. Baptisma vere, proprie unum tantum est, nempe illud quod vocatur fluminis, reliqua vero duo, in se vere et proprie non sunt baptismata, sed solum veri baptismatis effectum supplent, hoc est peccatum originale, quod per baptismum fluminis, quo aqua abluit homo, ex Christi praecepto deleri debeat, deletur etiam per baptismum sanguinis, nempe martyrium, et flaminis. Misericors enim Deus, qui imperavit ut baptismo fluminis hujusmodi peccatum deleretur, dignatur etiam ut hujus effectum suppleant quoque martyrium, et votum: ergo non plura, sed unum est baptisma. Quare cum Apostolus doceat, quod sit una Fides Catholica, sicuti est unum baptisma, consequens inde est, quod Fides revera sit una. Ne autem hac de re dubitandi supersit locus, audiatur integer Pauli textus. Itaque Apostolus Ephesios 4. etc. ut in probatione.

§. 331. *Objic*: 2. Ideo adseritur, Fidem esse unam non triplicem, quia Fides miraculorum dicitur eadem cum Fide Catholica; Atqui hoc est falsum; Ergo etc. Prob. subs. Si Fides miraculorum eadem foret cum Fide Catholica, ubi est Fides Catholica, ibi etiam foret Fides miraculorum: sed hoc falsum, cum non omnes Catholici miracula patrent; ergo etc.

§. 332. R. dist: maj: Quoties non desit alia conditio ad miracula patranda necessaria, conc: maj: si desit, nego maj; sed hoc etc., dist: min: quia,

deest etc:, conc; min:; quia necessariam Fidem non habent, nego min:, et consm. Revera illos, qui Fide Catholica præditi sunt, habere Fidem ad miracula patranda sufficientem aperte colligitur ex verbis Christi Domini, et D. Pauli, qui docent, Fidem miraculorum a Fide Catholica non distingui, sed esse unum et idem, ut Marci ultimo. Quamobrem si non omnes Catholici miracula operantur, id non oritur ex defectu Fidei ad miracula patranda sufficientis, bene vero ex defectu alterius conditionis ad ea praestanda requisitae.

§. 333. Hujusmodi vero alia conditio est fiducia recipiendi, quod petitur, ut Christus ostendit Marci II. dicens: *Amen dico vobis, quia quicumque dicent huic Monti, tollere et mittere in Mari, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei*: quibus certe verbis ad assumptum evicendum, nil clarius desiderari potest. Nam cum dicit, non *hæsitaverit*, significat, si habebit fiduciam recipiendi quod petit, ut clare explicat illis verbis immediate sequentibus, sed *crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat*, verba fiduciae definitionem continent. Hinc idem Christus (Matth. 14.) reprehendens Petrum, ait: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* ostendens, quod Petrus non erat quidem destitutus Fide, alioquin dixisset, quare fuisti infidelis; sed carebat fiducia, et ideo dixit, quare dubitasti; dubium enim fiduciae opponitur. Hanc Fidem, quæ fiduciam producens, miracula operatur, Christus Matthæi 15. loquens de Cananaea, vocat magnam, dicens: *O mulier magna est fides tua.* Et Apostolus 1. Corinth: 13. vocat omnem Fides, dicens: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*; non alia vero de causa dicitur et magna, et omnis Fides, quia non solum ipsa existit in anima; verum et fiduciam in eamdem producit. Obiter hic advertendum, quod ut miraculum fiat, non est solum necessaria fiducia in

eo, qui miraculum operatur, sed et in eo, qui miraculi effectum recipit; siquidem Christus cum miracula patrare volebat, ut plurimum dicebat illis, pro quibus miracula faciebat, *confide*, *confidite*, vel quid aliud simile: quae verba fiduciam significant.

§. 334. *Contra.* Atqui non omnes Catholici miracula patrant, quia Fides miraculorum distincta est a Fide Catholica; igitur etc. Prob subs. Si distincta non foret, tradi non posset de novo Fides miraculorum iis, qui Fide jam praediti sunt; sed traditur; ergo etc. Prob min: Duodecim Christi discipuli prædíti certe erant Fide Catholica, atque tamen Christus eis de novo concessit Fidem miraculorum, ut Matth. 10. legitur: *dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem;* Ergo etc.

§. 335. R. concessa maj; et dist: min; Atqui tamen etc: de novo concessit Fidem absolute, nego min:, concessit Fidem, quae fiduciam produceret, conc: min; ergo etc, nego consm. Cum Christus dedit Apostolis potestatem patrandi miracula, non superaddidit eis novam aliquam Fidem distinctam a Fide Catholica, qua jam præditi erant, sed eis concessit Fidem magnam, talem videlicet ut posset etiam fiduciam producere; etenim Christus hanc Apostolis potestatem tradens, eis de novo concessit, quod praeter Fidem Catholicam ad miracula patranda necessarium est; ast ut supra (n. 333.) demonstravimus, est necessaria fiducia recipiendi, quod petitur; ergo hanc, et non aliud dedit eis Christus.

§. 336. *Contra.* Atqui Christus discipulis credentibus, de novo tradidit Fidem miraculorum distinctam a Fide Catholica; ergo n. r. Prob. subs: Christus laudatam potestatem Apostolis tradens, eis concessit gratiam gratis datam; ergo etc. Prob consa: Gratia gratum faciens est distincta a gratia gratis data; sed Fides Catholica, est gratia gratum faciens; Ergo etc.

§. 337. R· dist. maj : , loquendo de gratia miraculorum est distincta ratione Fidei, nego maj : ; ratione fiduciæ, conc : maj: conc : min : sed nego consam in sensu distinctionis. Nostrum non est modo agere de gratiis gratis datis a gratia miraculorum distinctis, puta de prophetia, loquutione linguarum etc. ; sed tantum de ea quae miracula respicit, de qua dicimus, quod sit distincta a gratia gratum faciente, in qua Fides Catholica consistit, distincta inquam, in eo, quod Fides Catholica potest esse sine fiducia necessaria ad miracula patranda, sine ea tamen esse non potest Fides, qua miracula fieri debent. Gratia enim gratum faciens, ad quam Fides Catholica spectat, datur in bonum proprium, et ideo non requiritur fiducia alios respiciens : gratia vero gratis data, ad quam miraculorum operatio refertur, datur in bonum aliorum; et ideo necessaria est fiducia, quae hujusmodi bona velit.

§. 338. *Contra.* Si gratia gratum faciens, ad quam Fides Catholica refertur, a gratia gratis data distincta solum foret ratione fiduciae, sicut gratia Fidei Catholicae, ita et gratia miraculorum in omnium fidelium potestate foret; sed hoc est falsum; ergo etc. Prob maj : Omnes fideles possent in se excitare fiduciam recipiendi, quod petunt; ergo etc.

§. 339. R. dist. ans. Accedente peculiari gratia Dei, conc : ans; ea deficiente, nego ans, et consm. Quamvis Fides per se sufficiens ad miracula patranda sit in omnium fidelium potestate, cum omnes ex aequo credant Deum omnipotentem, quod est miraculorum fons; attamen in eorum potestate non est completa facultas ad miracula patranda necessaria; haec siquidem pendet a Deo, qui eam hominibus non dat semper, sed quando expedit, sibique arridet. Quare fideles vi illius Fidei, qua præditi sunt, absque peculiari Dei gratia, et concursu, poterunt quidem in se excitare fiduciam quamdam conjunctam cum hæsitatione, quæ proprie vocatur velleitas, quaeque ad mira-

cula patranda est insufficiens; non vero illam fiduciam constantem, omni dubio, ac timore destitutam, quam Christus ad patranda miracula necessariam adfirmat, cum Marci XI. dicit, *et non haesitaverit in corde suo*; quare etsi potestas patrandi miracula non sit in fidelium potestate, sicut est Fides, non idcircò Fides, qua miracula fiunt, a Fide Catholica distincta existimanda est, cum tota distinctio se habeat respectu fiduciae, non vero respectu Fidei, cum Fides, qua miracula fiunt, sit Fides, qua nonnulla Dei attributa; puta Omnipotentia, misericordia etc. credantur, quae certe Fides est Catholica.

CAPUT III.

De Fidei objecto.

§. 340. *Def. Fidei objectum est id, quod menti proponitur credendum*; et duplex distinguitur; *materiale*, scilicet., et *formale*.

§. 341. *Def.* 2. *Objectum materiale Fidei est omne id quod creditur; Objectum* vero, *formale est ratio, per quam Fides circa objectum materiale versatur.*

§. 342. *Schol.* Objectum materiale Fidei duplex est: *primarium*, et *secundarium*. Primarium est illud, ad quod, tamquam ad unum quoddam referuntur ea omnia, quae ad Fidem pertinent; Secundarium vero est illud, quod ad primarium refertur. Atque hoc dicitur quoque *inadæquatum*; illud autem *adæquatum*, et *attributionis*; *adæquatum* quidem, quatenus omnia continet ad Fidem spectantia; *attributionis* vero, quatenus ad ipsum omnia ad Fidem spectantia attribuuntur. Quodnam vero sit Fidei objectum tum *materiale*, tum *formale*

Variæ sunt Auctorum sententiæ.

§. 343. Lutherus, Fidem dicens esse fiduciam specialis misericordiae Dei (§. 288.) consequenter Fidei objectum Dei misericordiam esse statuit. Ex Catholicis putant aliqui, Fidei primarium objectum esse actum meritorium, quoniam omnia, quae in Fide continentur, directa sunt ad meritum gloriae in hac vita obtinendum. Sed hæc opinio ab omnibus sanae mentis Theologis rejicitur. Volunt alii, illud esse tantum Fidei objectum, quod a Deo revelatum est; alii existimant, non solum id quod revelatum est esse Fidei materiale objectum, sed insuper quodvis aliud revelabile. Loquendo autem de objecto formali Fidei, opinio nonnullorum est, illud esse Dei revelationem, aliorum vero esse Dei veracitatem, seu primam veritatem in dicendo. Nec desunt alii aliter sentientes. Nostra sententia mox patebit.

PROPOSITIO I.

Fidei materiale objectum non est sola Dei misericordia.

§. 344. Prob. Nam Fides non est certa fiducia, qua quis credit sibi a Deo per Jesum Christum remissa esse peccata (§. 291.), sed virtus theologica divinitus infusa, qua veritatibus revelatis firmiter quisque assentitur (§. 312.); Ergo Fidei objectum non est sola divina misericordia, sed sunt omnes veritates a Deo revelatae. Sane fidelibus a Christo præcipitur, ut Evangelio credant; *Prædicate* namque, dixit discipulis suis (Marci ult. v. 16.) *Evangelium omni creaturæ etc.* Atqui in Evangelio non continetur sola Dei misericorda, sed omnia quæ a Deo revelata sunt; Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Fidei primarium materiale objectum est Deus, qua Deus est; secundarium vero alia omnia ab ipso Deo revelata.

§. 345. Prob. 1. p. Jesus Christus ita discipulis suis loquitur apud S. Marcum (Cap. XI. v. 22.): *Habete fidem Dei*; et apud S. Joannem (Cap. XIV. v. 1.): *Creditis in Deum, et in me credite.* Si ergo Christus vult, ut Fidem Dei habeamus, et primo in Deum credamus, profecto Fidei primarium etc. Idipsum Apostolus docuit ad Hebraeos scribens (Cap. XI. v.): *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*; nec non Ecclesia in Symbolo dicens: *Credo in Deum.* Hinc merito scripsit S. Augustinus (Lib. IV. de veritate Cap. XX.) « Fidei unum, et primum, » ac maximum officium est, ut in unum credatur » Deum ».

§. 346. Prob. II. P. Veritates omnes a Deo revelatae sunt objectum secundarium Fidei si ad Deum referuntur, qui est Fidei primarium materiale objectum; Atqui veritates istiusmodi ad Deum referuntur; quippe de Deo dicitur quod sit Trinus immensus etc: Ergo sunt secundarium Fidei objectum; Adeoque etc.

Aliqua adversariorum argumenta solvuntur.

§. 347. Objic. 1. Ex vestra ipsa confessione (§. 345.), Christus Fidem in Deum, et in seipsum exigit, dicens: *Creditis in Deum, et in me credite;* Ergo non solus Deus, sed etiam Christus est Fidei Catholicae primarium materiale objectum; ideoque falsa prima pars expositae thesis.

§. 348. 171. R. conc. antec., n. consm. Christus utique Fidem in Deum, et in seipsum exi-

git ut Verbum incarnatum, at non eodem modo; in Deum namque exigit, ut Fidei primarium objectum, in seipsum ut objectum secundarium. Hinc primo dixit: *creditis in Deum*, postea *et in me credite*. Ergo etc.

§. 349. *Contra.* Atqui Christus ut homo, est etiam primarium objectum materiale Fidei; Ergo n. r. Prob. subsm. Christus fuit primarium objectum praedicationis Apostolorum; ait namque Paulus ad Corinthios scribens (Epist. I. Cap. I. v. 23.): *Nos autem praedicamus Christum crucifixum*; Ergo est primarium objectum Fidei.

§. 350. R. Quoniam reparationis humanae opus jam fuerat impletum; et Fides explicita in Jesum Christum, omnino ad salutem necessaria erat, utique primarium praedicationis Apostolorum objectum Christus ut homo fuit, et Apostoli totis viribus incumbuerunt ut populis ejus adventum, Divinitatem etc. suaderent: *Qui enim non credit* (Joannis Cap. III. v. 14.), Christi ipsius judicio, *jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti filii Dei.* Ex hoc autem non sequitur, Christum Fidei primarium quoque objectum fuisse, quatenus homo est. Apostoli namque cum Christum crucifixum praedicabant, in Deum primario credendum esse supponebant. Unde quoties Gentilibus Evangelium, et Christum ejus auctorem praedicare eis contigebat, a Fide in verum Deum exordiebantur. Ita fecit Paulus Atheniensibus praedicans (Actorum Cap. XVII. v. 24.); ita fecisse omnes alios Apostolos, illorum Acta, et Scripta luculentissime ostendunt.

§. 351. *Contra.* Atqui Christus ut homo, qui erat primarium praedicationis Apostolicae objectum, revera censendus est etiam primarium Fidei objectum; ergo n. r. Prob subsm. Illud est etiam primarium Fidei objectum, ad quod omnia Fidei objecta referuntur, sed illa omnia indiscriminatim referuntur ad Deum, et ad Christum; ergo etc.

§. 352. R. concessa maj, sed etc. dist min: Ad Christum, ut homo, nego min, ut Deum, conc: min:, et nego consm. Etiam ad Christum, omnia fidei objecta referuntur, non tamen consideratum ut homo, sed ut Deus est.

§. 353. *Contra.* Atqui referuntur etiam ad Christum ut homo; ergo etc. Prob subsm. Omnia Fidei objecta referuntur etiam ad nostram salutem, dicente Joan: Cap: 20.: *Haec scripta sunt, ut credatis, et credentes vitam habeatis in nomine ejus;* sed nostra salus refertur ad Christum Crucifixum, cum vita haberi debeat in nomine Christi; ergo etc.

§. 354. R. dist: maj; et nostra salus est objectum Fidei primarium, nego maj; secundarium, conc: maj. Nostra salus est objectum fidei secundarium; siquidem ea ad gloriam Dei refertur; ergo licet omnia Fidei objecta ad nostram etiam salutem referantur, non ideo nostra salus, quae est in Christo, primarium Fidei objectum existimanda est, bene vero Deus, ut Deus est: Quod et ex Sacra Scriptura, et ex ratione manifestum est. (§. 245.). Cum vero dicunt, quod peccata, et plura alia relata in Sacra Scriptura, quae Fide credenda sunt, ad Deum non referantur,

§. 355. R. id falsum esse: quandoquidem etiam peccata in Sacra Scriptura relata conducunt ad cognoscendam divinam justitiam, quatenus peccatores castigavit, aut misericordiam, quatenus eorum misertus est, et sic omnia alia referuntur ad Deum aut sperandum, aut timendum, ut amandum, aut possidendum, ut Sacrae Scripturae narrationes ostendunt.

PROPOSITIO III.

Revelatio Divina non est fidei formale objectum.

§. 356. Prob. Objectum formale Fidei inter alia quae praestare debet, debet etiam Fidem ipsam constituere; Sed haec proprietas divinæ Revelationi non competit; Ergo etc: Prob: min. Revelatio, Fidei objecta non constituit; sed tantum manifestat; Ergo etc: Et sane, ut id clare pateat, fiat per impossibile, quod Deus non sit verax. Hoc in casu ad quid valeret Revelatio?, licet Deus revera aliquid revelaret, non per hoc tamen Fides Catholica constitueretur, quippe cum ex tali revelatione non enasceretur Fides certa, et infallibilis, profecto talis Fides non esset Catholica, quia Fides Catholica certa est, atque infallibilis; Ergo Revelatio Fidem constituere non potest.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 357. *Objic.* 1. Objectum formale Fidei est ratio, sub qua Fides attingit suum objectum materiale; atque Dei revelatio est ratio, sub qua Fides attingit suum objectum materiale; Ergo etc. (1).

§. 358. R. Conc. maj. dist. Min. tamquam sub necessaria conditione c. min., aliter, n. min., et cons. Revelatio est solum conditio necessaria ad Fidem. Nam illa censenda est tantum conditio ad Fidem habendam, quæ applicat intellectum objectui, atque instar medii inservit ad hujusmodi objecta cognoscenda; Ergo revelatio est conditio, et quidem necessaria ad Fidem.

§. 359. *Contra.* Atqui divina Revelatio ad Fi-

(1) Ita L'Herminier Trac. de Fide de objecto formali Fidei.

dem se habet non ut conditio, sed ut objectum formale constituens illam rationem, sub qua Fides attingit suum objectum materiale: ergo etc. Prob. subs. objectum formale cujuscumque habitus, est ratio formalis illum habitum specificans, et ab omni alio distinguens; sed Revelatio Dei Fidem specificat, et ab omni alio habitu distinguit; Ergo etc: Prob. min. Si alicui rei assensus præbeatur propter evidentiam, habetur Scientia, si præbeatur quia omnes assentiuntur, habetur opinio; si vero præbeatur propter Revelationem divinam, nihil aliud quam Fides habetur; ergo etc.

§. 360. R. Conc. ans. quoad binas priores partes, et dist: quoad postremam; et alicui rei adsentiri propter Revelationem divinam est adsentiri, ut per conditionem, seu medium, conc: ans., ut per objectum, seu rationem formalem, n. ans, et cons. Cum alicui rei adsensus praebetur propter Revelationem divinam, praebetur tantum tanquam per conditionem, seu medium, quod objectum Fidei applicat intellectui, ut ab eo cognosci possit. Ast vero id ostendit, Revelationem esse quidem conditionem necessariam ad Fidem, non tamen Fidei objectum formale.

§. 361. *Contra*. Atqui alicui rei adsentiri propter Revelationem, est adsentiri ut per objectum formale; ergo etc. Prob. subs. Fides est habitus inclinans intellectum ad assentiendum veritatibus a Deo revelatis; et actus Fidei est assensus, quo creduntur veritates a Deo revelatæ; Ergo etc.

§. 362. R. dist. ans. propter testimonium revelantis conc: ans., propter solam Revelationem, n. ans. et consm. Fides est habitus inclinans ad credendas veritates revelatas, at actus, quo veritates revelatæ creduntur, non praecise propter solam Revelationem, sed propter verax Dei testimonium creduntur; Si enim Deus verax non foret, non crederemus.

§. 363. *Contra*. Atqui Fides inclinat ad creden-

dum, et efficit, ut credamus revelatis præcise propter solam Revelationem: ergo etc. Prob. subs. Christus, et Apostoli ad persuadendam Fidem adducunt Revelationem; sic Ioannis 1. *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*: et ad Galatas 1. *Neque ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi;* Ergo etc.

§. 364. R. dist. ans. tamquam conditionem necessariam, conc: ans. tamquam rationem formalem n. ans, et consm. Ad Fidem habendam, et Dei veracitas, et Revelatio necessaria est; non tamen eadem ratione; quippe veracitas Dei est necessaria tamquam ratio formalis, sub qua Fides suum attingit objectum materiale, qua constituitur, et ab aliis virtutibus distinguitur; ut Christus ostendit, cum dicit Joann. 8. *Qui misit me verax est, et ego, quae audivi ab eo loquor Mundo.* Revelatio autem divina est necessaria ut conditio, seu medium exhibens intellectui objectum Fidei materiale. Ideo etiam; et Christus, et Apostoli ad Fidem persuadendam, aliquando divinam Revelationem adducunt, quia hoc ipso, quod sciatur aliquid esse a Deo revelatum, adest sufficiens ratio credendi, quia aliunde notum est, divinam Revelationem esse veram, et infallibilem.

§. 365. *Contra.* Si Deus non esset verax, tamen credens Deo revelanti, verum Fidei actum eliceret; ergo cum in sacra Scriptura adducitur Revelatio ad credendam Fidem, non adducitur ut conditio, sed ut ratio formalis.

§. 366. R. n. secundam hypothesim antecedentis. Quandoquidem si Deus non esset verax, nullus ei crederet quod si quis ei crederet, non ideo verum Fidei divinae actum eliceret, quia Fides divina debet est certa, et infallibilis, atque in argumenti hypothesi talis non foret.

PROPOSITIO IV.

Divina veracitas est Fidei Catholicae formale objectum.

§. 367. Prob. Nam ratio motiva, qua Deo revelanti firmiter assentimur, non est, quia ipse est sanctus, justus, omnipotens, aeternus etc, sed quia est summe verax; et neque per se, neque per alium mentiri, falli, aut fallere potest (§. 55. et seq. Tomi I.). Unde quoties constat, aliquid a Deo esse revelatum, adeo certi sumus illud esse verum, ut falsum esse sit omnino impossibile; idque ob infinitam Dei revelantis veracitatem. Hinc Paulus ut Galatas ad credendum Evangelio induceret, ait (Cap. I. v. 12.): *Neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi.* Ergo etc.

Argumenta adversariorum solvuntur.

§. 368. *Objic.* Si Veracitas divina est objectum formale Fidei, ubi fides, ibi et veracitas; Sed hoc falsum; Ergo et illud; Prob. min. Simplices fideles credunt, quin ut plurimum de veracitate divina cogitant; ergo non semper ubi est Fides, ibi et divina veracitas reperitur.

§. 369. R. dist. ans., non cogitant actualiter, et explicite, conc: ans., virtualiter, et implicite, n. ans, et cons. Ut verum sit, quod Fidei catholicae objectum formale sit divina veracitas, non requiritur, ut cum aliquis articulus creditur expresse, et actualiter cognoscitur, quod ille creditur propter Dei veracitatem; sed sufficit, ut divina veracitas adsit virtualiter, et implicite; hoc est sufficit, quod fideles sint ita dispositi, ut non alia de causa veritates revelatas credant, nisi quia et sunt a Deo veraci. Posita enim hac prævia animi dispositione, licet actua-

liter de divina veracitate non cogitent; tamen non alia est ratio credendi, nisi ipsa divina veracitas. Porro simplices fideles, licet actualiter, et explicite non cogitent de divina veracitate, dum aliquid credunt; de ea tamen cogitant virtualiter et implicite, in virtute nempe illius dispositionis, quam habent ad credendas veritates revelatas propter Dei veracitatem; quod sufficit ad divinam veracitatem, pro formali Fidei objecto statuendam.

§. 370. *Contra*. Atqui simplices fideles, ne virtualiter quidem, et implicite cogitant de Divina veracitate, cum aliquid credunt; Ergo etc. Prob. subs. Credunt propter auctoritatem Parochi; Ergo etc.

§. 371. Dist ans. Ut veritates revelatas proponentis, conc. ans. ut illarum certitudinem efficientis, n. ans., et conse. Cum fideles credant, Parochum esse Dei ministrum determinatum ad ipsis proponendas veritates revelatas; ideo propter ejus auctoritatem credunt non veritates revelatas, sed veritates revelatas esse illas, quas Parochus ipsis explicat, atque proponit. Quare certitudo sine qua Fides catholica non est, non in Parochi, sed in Dei auctoritate infallibili fundatur. Si enim scirent Fideles quod Parochus non veritates revelatas sed alias aliunde acceptas proponeret, ei non crederent; igitur ratio credendi in fidelibus, non Parochi, sed Dei auctoritas est.

§. 372. *Contra*. Si fideles non credunt propter auctoritatem Parochi, non idcirco dicendum quod et ipsi et alii Fideles credant propter Dei veracitatem; itaut hæc sit ratio formalis credendi; idque pluribus de causis 1. quia veracitas divina nullam connexionem habet cum objectis materialibus Fidei. Ast si divina veracitas est objectum formale Fidei, deberet cum objectis materialibus habere connexionem; 2. eo vel magis, quod objectum formale debet esse intrinsecum objecto materiali, ut patet ex veritatibus scientificis, a quibus objectum formale, nempe evi-

dentia, ipsis veritatibus intrinseca est. Jam vero veracitas Dei non est intrinseca veritatibus revelatis. 3. cui accedit, quod veracitas est res credenda, nempe objectum materiale; non ratio credendi objectum, nempe formale. 4. semper divinæ veracitati non conveniunt omnes proprietates quas objectum Fidei formale debet habere, quia Fides per veracitatem non distinguitur a quacumque alia re quippe etiam theologia, ac prophetia pro objecto formali divinam veracitatem habent. 5. id quod ex eo etiam patet, quod nonnulli Theologi putant, Deum de potentia absoluta mentiri posse. Hoc namque posito Fides per divinam veracitatem non constituitur ita certa, sicut ab objecto formali constitui debet.

§. 373. R. ad 1. Veracitas divina connectitur cum veritatibus revelatis per ipsam revelationem, quæ est conditio, seu medium necessarium ad Fidem habendam, eo quod Fideles credere non possent veritates revelatas, nisi per revelationem ipsis innotescerent. Atque hujusmodi connexio ad constituendam divinam veracitatem pro objecto formali Fidei concurrit; quia hoc ipso, quod fideles sciant aliquid esse a Deo revelatum, determinantur ad id certo et infallibiliter credendum, quoniam Deum veracem esse probe sciunt.

§. 374. R. ad 2. Loquendo de scientia, utique verum est, quod ejus objectum formale rei intrinsecum esse debet; quia intellectus ad admitendas veritates scientificas movetur ab illa evidentia, quam in ipsis deprehendit: Loquendo autem de Fide, falsum est, quod ejus objectum formale debet esse intrinsecum materiali; quoniam intellectus ad admittendas veritates revelatas non determinatur ab eo quod in illis veritatibus deprehendit, sed ab extrineco Dei testimonio; quare falsa est paritas.

§. 375. R. ad 3. Divina veracitas est res credenda, et ratio credendi, non eadem sed diversa ratione; nam est res credenda, quatenus Fidelibus per

revelationem proponitur; est ratio credendi, quia Fideles divinam veracitatem credentes, determinantur ad credendas quascumque res revelatas; Videlicet est veracitas ut lumen naturale, quod est res visa simul, et ratio videndi.

§. 376. R. ad 4. et Fidei, et theologiae, et prophetiae objectum formale est divina veracitas, non idcirco tamen hae virtutes inter se indistinctae existimandae sunt, quia distinguntur, quatenus diverso modo obiectum materiale per formale attingunt; Nam per Fidem veritatibus revelatis assensus praebetur per simplicem adhesionem, ut infra videbimus: in theologia assensus praebetur per discursum: quippe theologus assentitur conclusionibus, quatenus eas ex principiis revelatis, sequi agnoscit; atque prophetia versatur tantummodo circa veritates futuras; Fides autem, et praeteritas, et praesentes, et futuras veteres respicit.

§. 377. R. ad 5. Nullum est absurdum, quod aliquem patronum non habeat. Non est hujus loci demonstrare, quod Deus neque de potentia ordinaria, neque de potentia extraordinaria decipere possit, solummodo dicimus, quod nos non tenemur sequi aliorum opiniones, praecipuae, cum absurdae sint, sicut hanc esse existimamus, eo quod Deus non potest deficere a summa perfectione, sicuti hoc in casu deficeret. Quare nil nobis hujusmodi argumentum, utpote falso principio innixum, officit. Caeterum neque ex sententia eorum, qui Deum, de potentia absoluta mentiri posse affirmant, colligi potest, quod obiectum Fidei formale non sit divina veracitas: quia id affirmantes, interim negant, quod Deus mentiri possit de potentia ordinaria, quod sufficit ad asserendum, Fidem catholicam certam esse, et infallibilem, sicut per objectum formale esse debet. Quod enim Deus facere potest de potentia absoluta, numquam facit de potentia ordinaria, quia cum operatur, operatur secun-

dum omnium suorum divinorum attributorum complexum. Sic quamvis de potentia absoluta justum damnare possit, tamen de potentia ordinaria illum nec damnat, nec damnare potest, quia cum operatur, operatur non solum secundum regulas omnipotentiæ; sed et justitiae. Quare sicut Justus certus est, quod non damnabitur, licet cum Deus damnare possit; ita fidelis certus est, quod sua Fides est infallibilis, licet Deus da potentia absoluta mentiri possit. Igitur admissa etiam horum Theologorum opinione, nil contra nos colligi potest.

§. 378. *Objic.* 2. Objectum formale Fidei est Deus sub ratione deitatis; ergo non est Dei suprema, et infallibilis veracitas. Prob. Subsm. Objectum Fidei, ac Theologiæ unum idemque sunt ex Augustino (lib. 14 de Divin. Cap. I. et 4.); Sed objectum Theologiae est Deus, ut Deus, scilicet sub ratione deitatis; ergo etiam objectum Fidei est Deus sub ratione deitatis, non autem sub ratione supremae, et infallibilis veritatis.

§. 379. R. Conc. Maj., n. min., et consm. Falsum est, Theologiam nostram habere pro objecto Deum sub ratione deitatis, non autem sub ratione primae, et infallibilis veritatis. Quandoquidem Theologia hæc nostra principiis innititur immediate revelatis, idest Fidei. Ideo vero assentimur Deo revelanti, quia est summe, et infinite verax, itaut nec falli, nec falle-re possit; ergo objectum quoque formale Theologiae suprema est, et infallibilis Dei veritas. Si igitur, ut in argumento, vere dicitur, objectum Theologiae, ac Fidei unum idemque sunt; profecto utriusque objectum formale est infallibilis Dei in dicendo veritas. Quod si adversarii de illa Beatorum loquantur, verum utique est ejus Theologiæ objectum esse Deum sub ratione deitatis; Beati enim in patria, cum Deum facie ad faciem videant, de eo non Fidem, sed scientiam habent. Nos vero in praesentiarum, non

de objecto scientiae Dei, sed de Fidei objecto sermonem facimus.

§. 380. *Contra.* Atqui objectum formale Fidei, sicut etiam Theologiae hujus nostrae, est Deus sub ratione Deitatis; ergo etc. Prob. subsm. Habitui Fidei, succedit in patria visio beatifica, eodemque modo Theologiae nostrae, nempe viatorum succedit in Patria Theologia Beatorum; sed objectum formale visionis beatificae est Deus sub ratione deitatis; ergo objectum quoque formale Fidei est Deus sub ratione Deitatis.

§. 381. R. Conc: Maj, et min., n. consm, et paritatem. Disparitas haec est. Ideo namque objectum formale visionis beatificae ac Theologiae Beatorum est Deus sub ratione Deitatis, quia cognitio beatorum in patria intuitiva est; vident enim Deum facie ad faciem; eadem ratione, qua nos videmus ea, quae sensibus nostris patent. Ast vero cognitio, quam nos de Fidei veritatibus habemus, intuitiva non est, sed Dei revelantis auctoritate innititur; atque ideo objectum formale Fidei est Deus, non sub ratione Deitatis, sed ut est prima et infallibilis veritas; non enim assentimur Deo revelanti, nisi quia scimus, eumdem veracem esse adeo, ut nec falli possit, nec fallere.

§. 382. *Contra.* Atqui objectum formale Fidei est Deus sub ratione Deitatis, non vero, ut prima, et infallibilis veritas; ergo etc. Prob. subsm. Si quis interrogetur, quare credat Deum, ex. gratia, esse unum in essentia, et trinum in personis? Respondet, et quidem recte, quia Deus dicit, Deus id revelavit; ergo objectum etc.

§. 383. R. Conc: antec.; n. consm. Licet enim responderet recte is cui talis fieret interrogatio, credere nempe mysterium infallibile Trinitatis, quia Deus id revelavit; attamen ratio, ac motivum, propter quod crederet is, atque assentiretur Deo mysterium istiusmodi revelanti, esset sane persuasio ejus de ve-

racitate dicentis, atque revelantis. Si enim percontaretur is denuo, quam ob rationem crederet Deo id revelanti? proculdubio responderet, quod Deus summe est, atque infinite verax in dicendo; ergo objectum formale nostrae Fidei, seu motivum, ac ratio propter quam Deo revelanti quidpiam credimus, est suprema, atque infinita ejus veracitas.

PROPOSITIO V.

Aliquid Fide credendum propositum potest in præsenti statu esse objectum cognitionis claræ.

§. 384. Prob: Quod fuit, esse potest: atqui plura, quæ credenda proponuntur in praesenti statu, fuerunt objecta cognitionis claræ; et re quidem vera Christi Nativitas, Passio, Crucifixio, et plura alia ipsum Christum spectantia, Fide credenda proponuntur: jam vero hæc omnia, respectu B. Mariæ Virginis. Apostolorum, et plurium aliarum personarum fuerunt objecta cognitionis claræ; Ergo aliquid etc. Pariter existentia Dei, Mundi creatio, et plura alia quæ Fide credenda proponuntur, a Philosophis aperte demonstrantur; et ideo in praesenti statu sunt objecta cognitionis clarae; Ergo etc.

PROPOSITIO VI.

Quod Fide credendum proponitur, quatenus Fide creditur, est necessario obscurum.

§. 385. Prob: Hæbraeorum II. *Fides est . . . . argumentum non apparentium*: 1. Corinth: 13.: *videmus nunc per speculum, et in ænigmate*, Ex his porro verbis manifeste patet assumptum. Etenim per D. Paulum, Fides in hoc reposita est, ut sit *argumentum*; hoc est convinctio, seu persuasio rerum,

quae non apparent : atque visio facta per speculum, in ænigmate, seu quod non apparet est obscurum; atqui obscura pariter est visio facta, ut Paulus docet; Ergo etc. Hinc Augustinus (Tract : 12. in Joannem) ait «. Quid est Fides? Credere, quod non vides » : et D. Gregorius (Homilia 2.) ait « Quae enim apparent, Fidem non habent, sed agnitionem » Quod et alii S. Patres confirmant, docentes, quod cum cessat obscuritas credendorum, Fides etiam cessat, quemadmodum in Patriam commorantibus accidit, qui videntibus facie ad faciem, amplius non credunt, hujus etiam veritatis ratio est, quia Fides est assensus, quo propter auctoritatem dicentis dicta creduntur; Ast quod clare videtur, non propter auctoritatem dicentis, sed propter rei claritatem admittitur; adeoque etc.

Satisfit Objectis.

§. 386. ***Objicies.*** Objectum Fidei non est necessario obscurum si multae sint veritates clare cognitae ad Fidem spectantes; ita est; Ergo etc.

§. 387. R. dist : maj : Quae pariter Fide credantur, conc : maj : quae tamen Fide non credantur, nego maj, et contradistincta min :, nego consm. Hæc est deceptio Nicolai L'Herminier, cujus hoc est argumentum præcipuum (Tract: de Fide §. de objecto Fidei); putat ipse, Fidei actu esse credendum quidquid credendum proponitur, etsi illud clare aliunde constet : quod falsum est; siquidem obscuritas necessario actum Fidei comitatur. Nam Paulus Hebraeorum II. etc. (§. 385.) : Quamobrem quod clare constat, Fide non creditur : claritas enim, et obscuritas se destruunt.

§. 388. *Contra.* Atqui multae sunt veritates clare cognitæ, quae Fide credi debent; ergo n. r. Prob subs. Fide credi debet quidquid a Deo est revelatum, et ab

Ecclesia Fidelibus omnibus credendum proponitur; sed multae sunt veritates clare cognitae, ut Dei existentia, unitas, Mundi creatio etc., quae a Deo revelatae sunt, et ab Ecclesia Fidelibus omnibus proponuntur credendae, ut patet ex Symbolo Apostolorum dicto; Ergo etc.

§. 389. R. dist: maj: hoc est ei firmiter adhærendum, conc: maj; ei obscure adhærendum, nego maj., et dist: min: Ecclesia imperat, ut veritatibus revelatis firmiter omnes adhereant, conc:, secus, nego min: et consm. Cum Ecclesia Fidelibus omnibus imperat ut veritates revelatas credant, nihil aliud vult: nisi ut eas firmiter, absque ulla dubitatione admittant, non vero, quod eis obscure adhæreant. Nequit enim Ecclesia velle, et imperare, quod est impossibile. At impossibile est, quod aliquis alicui veritati clare cognitae obscure adhæreat. Quare si aliquæ sunt in Catholica Fide veritates clare cognitae, de quo nos non disputamus, eis debent quidem fideles firmiter adhærere; non tamen adhærere obscure.

§. 390. *Contra.* Sed ex quo veritatibus clare cognitis, et ad Fidem spectantibus obscure non adæreamus, sequitur, obscuritatem necessariam non esse ad Fidem habendam; Ergo etc. Prob subsm. Hujusmodi etenim veritates clare cognitæ vere, et proprie dicta Fide credi debent; ergo etc. Prob ans. Paulus Heb: II. ait: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*; et paulo post: *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*: et in Symbolo: *credo in unum Deum Creatorem Cœli et Terræ*: Sed his locis intelligitur Fides vere, et proprie dicta: Atque existentia Dei, ejus unitas, et Mundi creatio possunt esse claræ cognitionis: igitur etc.

§. 391. R. conc: auctoritates, et dist: min: quoad primam partem, respectu omnium, nego min: quoad aliquos, conc: min:, et nego consm. Laudatis Pauli locis Fides vere, et proprie dicta, non in-

telligitur quoad omnes, sed quoad eos tantum, qui existentiæ Dei, creationis, aliorumque similium rerum claram cognitionem non habent. Etenim Paulus initio ejusdem Captis II. definiens, quod Fides sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, docet quod Fides circa ea tantum versetur, quae non apparent, atque sunt obscura. Si ergo aliquae veritates ad Fidem spectantes hujusmodi sunt ut appareant et sint claræ, profecto ex D. Pauli mente circa eas Fides non versatur; quare non illi, qui clare, sed qui obscure eas cognoscit, actu Fidei illas credere debet.

§. 392. *Contra.* Atqui hujusmodi veritates licet claras, actu Fidei credere debent; Ergo n. r. Prob. subsm. Ibidem Cap: II. ait Paulus: *sine Fide impossibile est placere Deo;* Ergo etc.

§. 393. R. dist: ans: hoc est nisi absque ulla hæsitatione admittantur veritates revelatae, conc: ans, secus: nego ans, et consm. Paulus ibi vult, neminem posse Deo placere, nisi absque ullo dubio veritates revelatas fateatur, et admittat; non vero quod nullus possit Deo placere, quin eas etiam veritates, quas clare cognoscit, obscure credat. Cum enim ex D. Paulo, Fides sit de obscuris, si qui clare veritates Fidei cognoscit, attamen eas actu Fidei credere deberet, eidem rei deberet assentiri clare simul, et obscure, quod est impossibile.

§. 394. *Contra.* Paulus ibi non excipit homines eruditos, ac doctos; Ergo omnes actu Fidei debent credere, si volunt Deo placere.

§. 395. R. dist: ans: non excipit expresse, conc: ans; implicite, nego ans: et consm. Hoc ipso quod Paulus doceat, Fidem esse de obscuris, implicite docet etiam quod veritates ad Fidem spectantes actu Fidei credere non debeant homines illi, qui eas clare cognoscunt, eas absque ullo dubio admittunt. Neque idcirco homines eruditi, ac docti possunt dici infide-

les, quia infidelis non est, qui veritates ad Fidem spectantes, absque ullo dubio admittunt. Hinc nec B. Virgo, nec Apostoli, quibus nonnullae veritates ad Fidem spectantes, ut Christi Crucifixio, mors etc. claræ fuerunt, infideles dicuntur; sed Fideles, quia ad id sufficit Fides habitualis consistens in animi dispositione ad credendum, quando actualis ob rei claritatem haberi nequit. Nec dici potest, homines doctos deteriores esse hominibus ignorantibus, quibus veritates Fidei certae sunt certitudine Fidei, quae scientiae major est: quandoquidem, hoc posito, dicendum foret, B. Virginem, Apostolos, atque Beatos deteriores esse hominibus ignorantibus, cum et istis veritates Fidei sint certae certitudine scientiae. Itaque falsum, certitudinem scientiae minorem esse certitudine Fidei; quia hæc si est vera certitudo, excludit omne dubium, sicut certitudo Fidei. Cum igitur absque ullo omnino dubio veritates revelatas certas habeant, et qui eas obscure, et qui clare cognoscunt, patet, quod hi non sint illis deteriores; imo perfectiores, quia in eruditis et doctis adest claritas, quae in ignorantibus desideratur.

§. 396. *Contra*. Atqui Paulus neque implicite exipit ab actu Fidei homines doctos cum dicit: *sine Fide impossibile est placere Deo*: Ergo n. r. Prob. subsm. Eos excipiendi nulla necessitas adest; Ergo etc. Prob. ans; Obscuritas, et claritas ad actus Fidei sunt indifferentes; Ergo etc. Prob. ans. Actus Fidei est assensus, quo veritates revelatae creduntur; ergo perinde est sive veritates hujusmodi sint claræ, sive obscuræ; hinc si Deus revelaret, bis duo esse quatuor, statim id esset objectum Fidei.

§. 397. R. dist: ans: propter auctoritatem dicentis; conc: ans: propter aliam rationem, nego ans; et consm. Haec sua postrema ratione, probat quidem L' Herminier obscuritatem ad Fidei essentiam non spectare, quod et nos fatemur: non probat autem quod

obscuritas non sit cum actu Fidei necessario connexa: Siquidem vi Fidei creduntur veritates revelatae propter auctoritatem revelantis. Si ergo auctoritas est, quae ad eas credendas inducit, necessario sunt obscurae, quia si forent clarae, causa assensus, non auctoritas sed claritas esset. Cæterum si verum foret, claritatem, et obscuritatem esse indifferentes ad actum Fidei, actus Fidei ab actu scientiae non distingueretur, quia sicut actus scientiae certus est; et clarus, ita posset esse actus Fidei, quod tamen falsum est. Ad id etiam, quod addit L'Herminier, dicimus, quod si Deus revelaret bis duo esse quatuor, hæc veritas foret quidem objectum Fidei, non tamen actu Fidei credenda foret ab illis, qui eam clare cognoscunt; quippe hoc in casu, intellectus ad assensum moveretur non a dicentis auctoritate, sed a rei claritate; quare esset objectum Fidei, quia id revelatum foret, non tamen actu Fidei credendum, quia clarum.

PROPOSITIO VII.

Obscuritas objecti materialis Fidei, ad Fidei essentiam non spectat.

§. 398. Prob. Cum essentia sit id, quod efficit, ut res sit id, quod est, atque Fides sit assensus, quo revelata creduntur, si obscuritas essentiam Fidei constitueret, revelata crederemus ob hanc etiam rationem, quia sunt obscura; jam vero hoc apertissime falsum; quippe Divina auctoritas est, quae efficit, ut credamus, non vero obscuritas; haec namque tantum abest, intellectum ad assentiendum moveat, ut potius, quando alia motiva desunt, ab assensu retrahat; ergo obscuritas ad Fidei essentiam non spectat; Fidem vero necessario obscuritas comitatur (§. 385.); quia ex quo objecta Fidei admittantur propter auctoritatem dicentis, ea esse obscura sequitur.

Quaeres. *An Fides pertineat ad intellectum?*

§. 399. R. adfirm: Nam Apostolus ad Corinthios scribens (Epist: XIII. v. 12.) ait: *Videamus nunc per speculum in ænigmate;* et ad Hebraeos Cap: XI. v. 3.) *Fide*, inquit, *intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei;* ex quibus, ut alia silentio praetereamus, ad rem sic efformamus argumentum: Videre atque intelligere proprium est intellectus, atque ad ipsum spectat. Sed ex Apostolo, per Fidem videmus atque intelligimus; Ergo Fides ad intellectum pertinet.

Quaeres. *An ad credendum saltem requiratur aliqua pia voluntatis motio?*

§. 400. R. Adfirm: Nam in Actis Apostolorum (Cap: VI v. 7.). legitur: *Multa turba Sacerdotum obediebat Fidei;* et ad Romanos scribens Apostolus (Cap: X. v. 16.) ait: *Non omnes obediunt Evangelio.* Sed obedire, et non obedire, actiones sunt voluntatis, cujus est imperare, ut exequatur, quod proponitur; Ergo etc: Deinde idem Apostolus ad Corinthios verba faciens, ait (Epist. II. Cap. X. v. 5.): *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi;* Jam vero captivare intellectum nihil est aliud, quam intellectum applicare, movere, inducere ad admittendas veritates a Christo traditas, quae actiones utique sunt voluntatis; Ergo etc: Atque hoc in sensu scripsit S. Augustinus (Tract: 26. in Joan:) « Intrare quisquis in Ecclesiam po-» test nolens, accedere ad altare potest nolens; cre-» dere autem non potest nisi volens ». Tandem: Intellectus tunc determinatur per se ad assentiendum veritatibus, quando istae sunt evidentes; at veritates Fidei non sunt evidentes; sed obscuræ (§. 385.); sunt namque argumentum non apparentium; Ergo per se ad credendum non determinatur, sed per aliquam piam voluntatis motionem.

Quaeres. *An Fides sine charitate possit existere?*

§. 401. R. adf. contra Calvinum Melanctonem

Kemnitium, aliosque. Nam Apostolus ad Corinthios scribens (Epist: 1. Cap: XIII. v. 2.) ait: *Si habuero omnem Fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*; Supponit ergo Paulus, Fidem habere posse, quin simul, et charitatem habeat. Deinde idipsum ostendere voluit Christus Dominus parabola decem Virginibus, quarum unaquaque lampadem sumpsit, hoc est Fidem, ut ad Sponsi nuptias admitteretur; sed quinque ex illis, non quidem de sola lampade sollicitæ fuerunt, sed insuper acceperunt oleum, nempe charitatem cum lampadibus, non sic aliae quinque; unde et istae laudatae fuerunt: illae damnatae; Ergo etc: Quare S. Augustinus (Lib: XV. de Trin: c. 18.) inquit « Fi» des sine charitate potest quidem esse, sed non et » prodesse ».

Quæres. *Num detur Fides informis sive mortua?*

§. 402. R. *Adfirm*: Nam Fides informis et mortua est illa, quae bonis operibus destituitur, estque sine charitate (§. 321.); Atqui datur Fides sine charitate (§. 401.); Ergo etc. Praeterea talis est Fides sine operibus, hoc est sine charitate, qualem eam appellat S. Jacobus Apostolus (Cap: II. v: 17.); Atqui illam mortuam appellat, dicens: *Fides si non habet opera, mortua est in semetipsa*; Ergo etc:

Quæres. *An habitus Fidei remanent in peccatore?*

§. 403. R. adfirm: Nam Fides stare potest in homine sine charitate (§. 401.); Sed qui charitatem non habent, hoc est condigna Fidei opera non faciunt, sunt peccatores; Ergo etc. Ulterius, Objectum Fidei, a Charitatis objecto diversum est; Fides enim Deum respicit ut summe verum; Charitas vero ut summe bonum; quare si quis Charitate destituitur, non semper destituitur et Fide; adeoque si a peccatore exulat charitas, stat et Fidei habitus. Hinc jure, meritoque Tridentina Synodus (Sess: VI. Can:

23.) definivit: *Si quis dixerit; amissa per peccatum gratia, simul et Fidem semper amitti, . . . anathema sit.*

Quæres. *An Fidei habitus maneat in Hæretico?*

§. 404. R neg: Nam de Hæreticis adfirmat Paulus ad Timotheum scribens (Epist. 1. Cap. I. v. 17.), Quod *circa Fidem naufragaverunt.* Ast circa Fidem naufragium facere, est Fidem amittere, uti explicat Chrysostomus (Hom: V. in laud: Apost.); Ergo etc.

Quæres. *An habitus Fidei sit in Dæmonibus?*

§. 405. R. negative. Nam ad credendum uti oportet, necessaria est pia voluntatis affectio erga Deum (§. 400.); Atqui Daemones hanc piam affectionem non habent; Ergo etc Ergo etc: Neque officit quod dicat S. Jacobus (Cap: II. v. 19.): *Daemones credunt, et contremiscunt;* quia illi credunt, non moti Fidei Divina, sed naturali.

CAPUT IV.

De Fidei resolutione.

§. 406. *Def.* 1. *Resolutionis nomine generatim venit regressus ab effectu ad caussas; sive reductio conclusionis ad suum principium.* Hinc si quis, v. g., hanc conclusionem: *Caput humanum est minus toto integro corpore*, ad hoc principium reduceret: *totum est sua parte majus*, illam conclusionem resolveret, quae resolutio ultima dicetur, si supra laudatum principium nullum aliud fuerit, ad quod talis conclusio reduci possit.

§. 407. *Def*: 2. *Resolutio* itaque *ultima Fidei est assignatio ultimæ caussae, ex qua ipsa oritur, et cui tamquam fundamento innitur.*

§. 408. *Coroll.* Hinc resolvitur ultimo Fides, cum alicui ultima ratio redditur, cur credat. At quæ-

nam sit ultima haec ratio, seu id, in quod in ultimo resolvatur Fides

Dissidium adest Hæreticos inter et Catholicos.

§. 409. Manichaei nihil credendum esse dicentes, nisi quod rationi humanae innitur, Fides per eos in humanam rationem resolvitur. Lutherani, et Calvinistae tenent, Fidei regulam aliam non esse nisi Sacram Scripturam, quatenus ab omnibus fidelibus privato spiritu intelligitur, atque explicatur. Catholici Theologi duo in Fide distinguentes; 1. nempe definitionem, ac propositionem rerum revelatarum; 2. motivum veritatibus revelatis assentiendi, affirmant, Fidem primo modo inspectam, in Ecclesiam Catholicam Romanam ultimo resolvi; haec namque continua Spiritus Sancti assistentia suffulta, definire debet, proponere, atque fidelibus explicare quaenam a Deo revelata sint; inspectam vero secundo modo, in divinam veracitatem ultimo resolvi tuentur. Quae tenenda sunt, breviter exponemus.

PROPOSITIO I.

Fides in humanam rationem ultimo non resolvitur.

§. 410. Prob. Nam ait Apostolus (Epist. I. ad Corinth. Cap. II. v. 4.): *Sermo meus, et praedicatio mea non in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Et sane, nos non ideo aliquid Fide Catholica credimus quia illud per rationem naturalem certo cognovimus (§. 157.), sed quia licet humanae rationi impervium, a Deo revelatum est. Ultra quamquod, si Fides, in humanam rationem ultimo resolveretur, ratio humana esset Fidei origo, quanto propterea quis es-

et sapientior, et ratiocinio aliis excellentior, eo magis Fidei veritates, et mysteria assequeretur; Atqui hoc est falsum, dicente Domino nostro (Matthaei Cap. XI. v. 25.): *Confiteor tibi Pater, qui abscondisi hæc* (scilicet Fidei mysteria) *a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis*; Ergo etc.

Satisfit objectis adversariorum.

§. 411. *Objic:* 1. **Fides in humanam rationem resolvitur, si humana ratio sit causa credendi; Sed vera hypothesis; Ergo et thesis. Prob min. Causa et ratio credendi merito censeri potest illa, qua B. Virgo usa est; sed B. Virgo ad credendum propriam rationem adhibuit, utpote quae salutata ab Angelo (Luc. Cap. I. v. 29.)** ***cogitabat qualis esset ista salutatio.*** **Ergo etc.**

§. 412. R. conc. maj. Sed dist. min., adhibuit propriam rationem ad credendum absolute, n. min; ad credendum prudenter, conc: min; et n. consam. Si humana ratio B. Virgini fuisset ratio credendi, certe, quae Angelus ei credenda proposuit, non credidisset; siquidem ei proposuit credendam Verbi incarnationem, quae cum supra rationem sit, ratione attingi nequit. Credidit autem; ergo humana ratio ei causa credendi absolute non fuit, sed ei inservit, ad credendum prudenter, hoc est ad cognoscendum, an nuntius ille revera cælestis esset, et an vera forent, quæ nuntiabat: fecit videlicet, quod postea Apostolus Joannes (Epistolæ 1. cap. 4.) faciendum praecepit his verbis: *Probate Spiritus an ex Deo sint;* et de facto postquam Maria cognovit, nuntium esse cælestem, et vera esse quæ nuntiabat, propriæ dubitationi valedicens, humiliter credidit, licet id, quod credidit supra rationem foret; quamobrem ad credendum prudenter solum humanam rationem adhibuit. Hoc autem omnibus concessum est: omnes uti possunt propria ratione

ad credendum prudenter, praesertim illi, quibus prima vice Christiana Religio annuntiatur. Neque enim Christus vult, quod homines in suam Religionem, brutorum instar trahantur. Sed erit ne idcirco humana ratio causa credendi? Nil minus.

§. 413. *Contra.* Atqui B. Virgo propriam rationem adhibuit ad credendum absolute; etc. Prob. subs. B. Virgo non fuit levis corde; sed levis corde fuisset si propriam rationem non adhibuisset; Ergo etc. Prob min. Ecclesiastici 19. *Qui cito credit levis est corde.* Sed cito credere est aliquid admittere ante evidentem rationem: Ergo etc.

§. 414. R. dist. maj; divina, n. maj., humana, conc. Loquitur ibi Ecclesiastes de Fide humana, et adfirmat, quod cum homines decipi, et decipere possint, ideo non statim credendae eorum narrationes, ne mentis levitas ostendatur, sed videndum an verae sint, et postea credendae. Quod si quis vellet, Ecclesiasticum loqui de Fide divina, ei responderemus, quod ibi Ecclesiasticus monet non esse credendum illis qui spiritu Dei se plenos depredicant, et nova docent dogmata, nisi prius aliquo fide digno testimonio, ex: gratia, miraculis, eos tales esse nobis innotescat, ut faciendum monet etiam Apostolus Joannes dicens (Epist. 1. c. 4.): *Nolite omni spiritui credere.*

§. 415. *Contra.* Atqui etiam circa res divinas non licet admittere aliquid ante evidentem rationem; Ergo etc. Prob. ans. Non licet, quod Apostolus prohibet; sed prohibet aliquid admittere ante evidentem rationem, dicens 1. Tessalonicensium (V. v. 21.): *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Ergo etc.

§. 416. R. conc. maj et dist. min., et cum dicit omnia probate, intelligit omnia agenda, vel non agenda, conc. min; intelligit quaecumque credenda, n. min., et consam. Apostolus eo loci non vult esse probanda ea, quorum ratio est sola divina veracitas, quippe Hebraeorum undecimo affirmat, Fidem versari circa

ea quae non apparent; et alibi docet, in obsequium Christi captivandum esse intellectum; sed vult esse probanda ea, quorum regula proxima est uniuscujusque conscientia; agenda nempe, et non agenda; et ideo post verba in argumento laudata, immediate subdit; *Ab omni specie mala abstinete vos.* Quasi diceret, cum post probationem cognoveritis, aliquid esse malum, ab eo abstinete.

§. 417. *Contra.* Atqui Apostolus voluit omnia omnino est probanda, priusquam adoptentur; Ergo etc. Prob. ans. Hoc non dato, plura credi possent contra manifestam rationem: Ergo etc.

§. 418. R. dist. ans. Si ratio nullimode foret adhibenda, conc. ans; secus n. ans.; et consam. Cum adfirmamus, humanam rationem non esse caussam credendi; ideoque in eam non resolvi Fidem, non adfirmamus etiam nullum rationis usum esse faciendum, quandoquidem ratio adhibenda est tantum quantum ad prudenter credendum necesse est. Quo posito, nihil umquam contra manifestam rationem creditur, quum ita credere non est prudenter credere. Ad hoc inquam, ratio adhibenda est, et non ad credenda objecta Fidei.

PROPOSITIO II.

Fides non resolvitur in Sacram Scripturam, privato cujusque spiritu, explicandam.

§. 419. Prob. Scriptura non est adeo aperta, ut sola sufficiat ad dogmata Fidei definienda (§. 206. T. I.); Ergo indiget interpretatione; Atqui talis interpetratio a privato spiritu cujusque fieri nequit (§. 227. ib.); Ergo etc. Praeterea in Sacris Scripturis, sicuti in Epistolis D. Pauli notavit Princeps Apostolorum (Epist. II. Cap. ult. v. 16.): *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, et instabiles depra-*

nant, *sicut et cæteras Scripturas*; Scriptura ergo mutationi, alterationi, depravationi hominum sive iniquorum, sive imperitorum subjacet; Atqui regula Fidei (seu id, in quod ultimo Fides resolvitur) debet esse certissima, firmissima, constantissima, et omnino a depravatione aliena: Ergo etc. Tandem si spiritus privati de Scripturis facta interpetratio regula Fidei foret, tot Fides essent, atque diversae, sibique invicem contrariae, quot a privatis spiritibus de eodem Sacrae Scripturae testimonio fiunt explanationes, quae cum veritatis simplicitate, ac puritate non componuntur. Fides namque Catholica habitualis una est (§. 324.), sicuti unicus est Deus ejus auctor; neque dogmata sibi invicem pugnantia continet; Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Fides ultimo resolvitur in Ecclesiam, quatenus ipsa definit, atque proponit objecta Fidei.

§. 420. Prob. Nam Ecclesia, ut *columna, et firmamentum veritatis* (Epist. I. ad Timot. Cap. III.), et a Spiritu Sancto, qui *spiritus veritatis est* (Joannis Cap. XVI. v. 13.) continua assistentia suffulta, in iis quae Fidei, et morum sunt, infallibilis est (§. 376. T. I.); ipsa propterea judicare potest, et debet de vero, et germano Scripturarum sensu (§. 228. ibid.), deque veritatibus, atque objectis Fidei sive in Scripturis, sive in Traditione contentis, et Fidelibus, ut credantur, proponere; illius ergo testimonium infallibile est, adeo ut quoties constat, aliquid de Fide ab Ecclesia definitum fuisse, atque de Fide ad credendum ab ea propositum, illud revera de Fide esse, et infallibile, at ue velut omnino certissimum, tenendum est; unde dixit S. Augustinus (Lib. contra Epist. Fundamenti.) « Evangelio

» non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas «; Igitur Ecclesia est ultima regula Fidei Catholicae; Adeoque etc (1).

PROPOSITIO IV.

Fides ultimo resolvitur in Divinam veracitatem, ut in motivum assensus.

§. 421. Prob. Divina veracitas est Fidei Catholicae formale objectum (§. 367.); Divina ergo veracitas est illa ratio, sub qua Fides suum materiale objectum attingit, a qua constituitur, et qua distinguitur; et proinde est ultima ratio, cui Fides, ut motivo assensus innitur; Ergo Fides etc.

§. 422. *Objic*: variis mediis. Si Fides in divinam veracitatem, ut in motivum credendi resolvératur, divina veracitas foret ultima ratio homines ad credendum determinans. At id falsum. 1. quia cum veracitas in divinam essentiam resolvatur, fit inde, ut potius divina essentia sit ultima ratio credendi. 2. quia sicut alia Fidei objecta, ita et divinam veracitatem credimus; ergo si veracitas est ultima ratio credendi, crederetur veracitas propter veracitatem, quod certe dari nequit, cum ratio ad aliquid admittendum inducens, distincta esse debeat ab eo, quod admittitur. 3. quia sic crederemus veracitatem propter Ecclesiam, et Ecclesia propter veracitatem; et ideo redit circulus vitiosus etiam supra objectus. 4. comunis Fidelium sensus ostendit quod Fides resolvatur in divinam revelationem: eorum namque aliquis interrogatus, cur credat datum mysterium; respondet, quia Deus illud revelavit.

§. 423. R. ad singula. Ad 1. nos in præsentia-

(1) Frassen de Virtutibus Theolog. Disp. I. Art. I. q. 31. Concl. 5.

rum non quaerimus Fidei resolutionem, prout fit a Theologo, qui circa Fidei objecta discurrit, sed prout fit a fideli, qui Fidei objectis simpliciter per assensum adhaeret. Porro verum est quod Theologus ratiocinando, Fidem prius in divinam veracitatem, postea in divinam essentiam resolvit, quia divina essentia fons est, atque origo omnium divinarum perfectionum: at falsum est quod eiam fidelis id præstet; quippe is non alia de causa credit, nisi quia vel a parentibus, vel a Parochis, vel ab aliis edoctus est, Deum nec fallere, nec falli posse, cum aliquid revelat, propter quam divinam veracitatem objectis Fidei firmiter adhaeret, quod certe non prestaret, nisi Deum infallibilem crederet, etsi caetera ejus attributa concederet.

§. 424. R. ad 2. Utique creditur veracitas propter veracitatem. Quaenam in hoc absurditas? Nonne videtur lumen propter lumen? Ergo non semper ratio, qua aliquid admittitur debet esse distincta ab eo, quod admittitur. Ast inquiunt: ridiculum est credere aliquem veracem, quia ipsemet se veracem testatur: ita sane si deessent motiva credibilitatis, non ita vero quando hujusmodi motiva non desiderantur. Quoties enim adsint rationes, quae movent ad credendum, quidquid Deus revelavit, verum esse, non est ridiculum credere Deum esse veracem, quia id ille testatur. Jam vero id evenit circa alia Fidei objecta, adsunt videlicet motiva credibilitatis, quae efficiunt ut prudenter et divina veracitas, et alia Fidei objecta credantur. Verum repetunt: secundum hanc responsionem, Fides in motiva credibilitatis resolveretur. Ita, sed non sicut in divinam veracitatem resolvi propugnamus: resolvitur enim Fides in motiva credibilitatis, tamquam in quamdam praeviam dispositionem necessariam ad prudenter credendum vera esse quaecumque Deus revelavit. Resolvitur vero in

divinam veracitatem; tanquam in motivum efficiens, ut fidelis objectis revelatis firmiter assentiatur.

§. 425. R. ad 3. Nullus vitiosus circulus comittitur, cum ex aliquo aliunde noto aliquid probatur, seu creditur. Sic Philosophi in circulum vitiosum non incidunt cum corporis naturam colligunt ex ejus proprietatibus jam notis ex experimentis, et observationibus; et cum deinde ex natura corporis, hoc modo demonstrata, colligunt ipsius corporis proprietates. Iam vero cum fideles credunt Dei veracitatem propter Ecclesiae proponentis, ac definientis auctoritatem, ipsis infallibilis Ecclesiae auctoritas aliunde nota est, nempe ex traditione, qua constat, quod cœtus ille pastorum qui constituit, et quem dicimus Ecclesiam, idem docet, quod Christus, et Apostoli docuerunt. Posita autem hac humana Fide de Ecclesiae infallibilitate, moventur ad credendum ea omnia, quae ipsa Ecclesia definit, atque proponit. Cum vero Ecclesia inter alia proponat etiam ac definiat propriam infallibilitatem, tamquam objectum a Deo revelatum, ideo moventur ad credendam infallibilem Ecclesiam, et non amplius per fidem humanam, sed per Fidem divinam. Quo posito systemate, nullus circulus vitiosus habetur, quia creditur auctoritas Ecclesiae, ut jam nota ex traditione, nempe ex Fide humana. Ergo inquiunt, Fides divina ex humana oritur? oritur non vero a causa efficiente, sed ut a praevia quadam dispositione necessaria ad inducendum hominem ad credendum divina Fide. Neque id mirum: quandoquidem cum Paulus Rom. 11. ait, Fidem esse ex auditu, affirmat Fidem divinam oriri a Fide humana, tamquam a praevia dispositione. Nam dicens, Fides ex auditu, idem est, ac si diceret, quod homines, Fidem divinam concipiunt praestando Fidem illis, qui verbum Dei annuntiant, quae certe Fides est humana. Sic infideles Fide humana credendo concionatori Fidem divinam annuntiando, disponuntur ad recipiendam

Fidem divinam; et moventur ad credenda objecta Fidei, non ob concionatoris, sed ob Dei auctoritatem. Quamobrem nullum inconveniens sequitur ex modo, quo nos obtrusum argumentum solvimus.

§. 426. R. ad 4. Fides in divinam etiam revelationem resolvitur, non vero in motivum assensus, sicut in divinam veracitatem; sed ut in medium necessarium, ut objecta Fidei hominibus innotescant. Ut plurimum etiam Fideles, simpliciores praesertim, interroganti respondent, quod ipsi datum mysterium credunt, quia Deus illud revelavit; quoniam pro certo tenent, Deum nec falli, nec fallere, cum aliis quid revelat; ideoque ipsis revelatio divina est sufficiens motivum credendi.

CAPUT V.

De Mysteriorum Fidei credibilitate.

§. 427. *Animad.* Dari motiva credibilitatis, eaque in sola Christiana Religione reperiri, satis supra ostensum est (T. I. §. 43. 102.); quod in hoc Capite ad trutinam revocatur, est, an per dicta motiva, Mysteria ita reddantur credibilia, ut eis assensum jure denegare non possimus. Pro cujus rei dilucidatione, duo valde inter se diversa distinguenda sunt; 1. nempe veritatem aliquam esse evidenter veram, et 2. aliquam veritatem esse evidenter credibilem. Primum significat, nos habere claram, atque perspicuam alicujus veritatis cognitionem. Secundum significat dari sufficiens motivum, argumentum, rationem, et moralem certitudinem propter quam veritas illa prudenter credi potest, licet interim veritas illa, quæ evidenter cognoscitur credibilis, obscura maneat, atque inevidenter vera. De primo hic non loquimur, cum sit proprium scientiae; De secundo itaque loquamur. Sit proinde.

PROPOSITIO

Nostræ Catholicæ Fidei Mysteria sunt evidenter credibilia, morali evidentia.

§. 428. Prob: Nam 1. ait Regius Psaltes de Fidei Mysteriis loquens (Ps: 92. v. 7.): *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis;* idest, ut exponit Lyranus: *credibilia facta sunt nimis* « idest magis quam prima principia scientiarum » et ita quidem ait S. Augustinus (Lib: VII. Conf: Cap. X.): Ut « facilius dubitarem vivere me, quam esse vera quae audivi ». Et sane multa sunt, scribit idem S. Doctor (Lib: contra Epist: Fund: c. « 4.), » quae me justissime tenent in Ecclesiae Catholicae » gremio: tenet consensio Populorum, et Gentium, » tenet aucthoritas miraculis inchoata, spe nutrita, » charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa » Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Do- » minus demandavit, usque ad praesentem Episco- » porum successio Sacerdotum, tenet denique ipsum » Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam » multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, ut cum » omnes Hæretici se se Catholicos dici velint, quæ- » renti autem peregrino, ubi ad Catholicam Ecclesiam » conveniuntur, nullus Hæreticorum vel Basilicam » suam, vel domum audeat ostendere ». Ergo etc.

§. 429. *Coroll:* Motiva itaque credibilitatis per modum conditionis necessariae ad Fidem conferunt. Nam si motiva credibilitatis non darentur, quaenam sit vera Fides Divina, quænam vera Ecclesia prorsus delitesceret, et cum cito cuique credendum non sit, absque probatione, ne levitatis arguamur, deficientibus credibilitatis motivis, nemini, licet verum dicenti, credere deberemus. Evangelii itaque praedicatione, neque tot conversiones Infidelium factae fuissent, neque Ecclesia toto Terrarum orbe fuisset diffusa, et altius fixisset radices; Ergo etc.

Hæreticorum exsufluantur argumenta.

§. 430. *Objic.* 1. Si mysteria nostrae Fidei essent evidenter credibilia, nemo esset sanae mentis, qui ea oppugnaret, sed omnes ea crederent: At experientia constat, et Ecclesiastica historia, ab nascentis Ecclesiae primordio, non solum sapientiores inter Judaeos, gentilesquæ Philosophos, sed et hæreticos in rebus Christianæ religionis, cæteroquin versatissimos, plurima oppugnare Fidei nostræ mysteria, eisque contraria pro veris habere, et constantissime tueri; ergo mysteria etc.

§. 431. R. n. sequelam maj., et conc. min., n. consam. Etsi enim Mysteria Fidei nostrae evidenter sint credibilia, variis tamen ex motivis negari ea possunt, et impugnari, ut ab hæreticis, aliisque Christianae Religionis hostibus infensissimis factum est, quamvis eorum quamplurimi doctrina valuissent, et ingenio, vel quia nempe mysteria hujusmodi non debite proponuntur, vel quia attente, et ut par est non considerantur ac expenduntur, vel quia aliqui male, imo pessime affecti, hujusmodi mysteriis, divinisque veritatibus assensum suum renuunt praebere, ne scilicet captivent intellectum in obsequium Fidei, sicque exerceant quodam modo libertatem naturalem usuque rationis, juxta quem omnia, etiam divina volunt emetiri; vel quia rationes, et motiva, quibus redduntur evidenter credibilia contrariis rationibus infirmare, et obscurare pertentant; vel quia illis pro sua libertate attendere recusant; sicut enim licet quis sciat evidenter bonum temperantiae esse prudenter amabile, potest tamen illud non amare, ita etiam licet aliquis cognoscat, se non posse sectam suam prudenter retinere, affectú tamen depravato potest ei constanter, firmiterque adhaerere, ut omnis, qui malitiose peccat, noscit quidem se imprudenter agere, nec tamen cessat male agere; vel quia tandem denegat Deus aliquando

infidelibus, ac haereticis auxilia ea efficacia, quibus moveatur eorum intellectus ad evidentiam credibilitatis mysteriorum Fidei percipiendam; dicente Paulo (II. ad Corinthios 4.): *Deus hujus saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi.*

§. 432. *Contra.* Atqui si objecta Fidei essent evidenter credibilia, nemo ea impugnaret; Sed omnes ea crederent, eisque assentirentur; Ergo etc. Prob. subs. Si essent evidenter credibilia, necessario moverent intellectum ad credendum; Ergo si etc.

§. 433. R. n. ans. et consam. Quamquam enim Mysteria nostrae Fidei sint evidenter credibilia, non tamen sunt evidenter vera, ut jam praenotavimus. Porro licet intellectus nequeat dissentiri vero cognito evidenter vero, potest tamen non assentiri veritati, quae evidenter tantum cognoscitur credibilis; cujus rei ratio est, quia cum evidentia credibilitatis manet in intellectu obscuritas: ea vero, quae evidenter sunt vera, nullam admittunt obscuritatem, sed clara sunt, ac perspicua, et ideo intellectum ad assensum necessario trahentia.

§. 434. *Contra.* Atqui si objecta Fidei essent evidenter credibilia, necessario moverent intellectum ad credendum; Adeoque ab omnibus crederentur; Ergo etc. Prob subsm. Si essent evidenter credibilia, essent etiam evidenter vera; Sed ex concessis, ea quae sunt evidenter vera; necessario movent intellectum ad assentiendum; Ergo si objecta Fidei etc. Prob. maj. Hæc consequentia bona est, et legitima: aliquod objectum est credibile Fide divina; Ergo est verum; Nam Fide divina nihil nisi verum credi potest; Ergo si Mysteria Fidei essent evidenter credibilia, essent etiam evidenter vera; adeoque necessario moverent intellectum ad credendum.

§. 435. R. non esse consequens, quod si mysteria Fidei nostrae essent evidenter credibilia, es-

sent etiam evidenter vera; aliud enim est aliquam propositionem esse veram, aliud esse credibilem (§. 427.): veritas namque petitur ex intrinseca connexione subjecti cum predicato evidenter cognito; credibilitas vero sumitur ab extrinseco, idest a dicentis testimonio, et auctoritate; Deinde ut pressius loquamur, omnisque adversariis praecludatur aditus: aliud est, quod aliqua propositio sit vera, aliud quod sit evidenter vera. Siquidem jure optimo dici potest, vera esse ea, quæ evidenter sunt credibilia, quamvis non sint evidenter vera. Vera quidem, quia falsa non esse deprehenduntur. Non tamen evidenter vera, quia adhuc obscura remanent: Fides enim, ut inquit Apostolus, est *non apparentium*; Cum igitur non sint evidenter vera mysteria nostrae Fidei, talia non sunt, nec esse possunt, ut intellectum ad assensum necessario moveant.

§. 436. *Objic.* 2. Si mysteria Fidei essent evidenter credibilia, evidenter crederentur; Sed hoc falsum est; ergo falsa propositio. Prob. min. Mysteria Fidei nostrae non evidenter, sed obscure creduntur; Ergo falsum est, quod mysteria Fidei evidenter credantur.

§. 437. R. dist. ans: mysteria etc., quatenus ea quae creduntur, obscura sunt, conc. ans., alio sensu ita nimirum, ut non dentur motiva quaedam credibilitatis quae efficiant, ut intellectus certo, ac firmiter judicet, mysteriis istiusmodi obscuris esse assentiendum, n. ans., et consam. Quando asserimus, mysteria Fidei evidenter esse credibilia, non ita accipiendum est, ut velimus, ea a nobis evidenter cognosci; Sic enim non Fidem, sed scientiam de mysteriis illis haberemus; Sed eo sensu intelligi debet, ut asseramus, nobis evidenter constare, ea mysteria obscura cognita esse credibilia. Quo in sensu actus credendi obscurus quidem est, quia rebus obscuris praestitus; sed tamen intellectus evidenter cognoscit,

vel saltem cognoscere potest, prudenterque judicare ex motivis quibusdam sive argumentis, se ad credendas res illas obscuras, quae Fidei sut objecta, omnino obligari.

§. 438. *Contra.* ex dictis in responsione, actus credendi obscurus est; sed non esset obscurus si mysteria Fidei evidenter crederentur; ergo non sunt evidenter credibilia; Prob min. Sicuti se habet scibile repectu habitus scientiae, ita se habet credibile respectu habitus Fidei; Sed eo ipso, quod res aliqua est evidenter scibilis, actus scientificus non est obscurus, sed clarus ac perspicuus; ergo pari ratione, si mysteria Fidei evidenter essent credibilia, actus credendi sive Fidei, non esset obscurus, sed clarus ac perspicuus.

§. 439. R. conc: mai. proportione servata, et conc: etiam min., n. consam, et paritatem. Ratio disparitatis eruitur ex superius dictis, quod aliud sit rem esse scibilem, aliud esse credibilem; aliud sit, aliquid esse evidenter credibile, aliud esse evidenter verum. Duo haec sunt, quae, ut ibidem dictum est, multum inter se differunt; Quambrem non valet hæc illatio; ego video et cognosco id esse credibile; ergo evidenter video esse verum: ergo actus Fidei obscurus non est; Sed clarus, et perspicuus; Fides enim est argumentum non apparentium, ut loquitur Apostolus.

§. 440. *Contra.* Atqui si mysteria Fidei essent evidenter credibilia, actus Fidei non esset obscurus, sed clarus, atque perspicuus; redit ergo argumentum. Prob. min subsm. Obscuritas cum cognitione evidenti est omnino incompossibilis; Atqui si mysteria Fidei essent evidenter credibilia, haberetur cognitio evidens in intellectu credentis; Ergo actus Fidei non esset etc: Sed etc. Prob. min. Intellectus credentis, in hypothesi cognosceret evidenter revelata esse quae crederet; ergo haberetur cognitio evidens etc.; adeoque actus Fidei non esset etc.

§. 441. R. ut in argumento; ad ultimum concesso anti, neg. consm. Licet enim haberetur evidens cognitio de revelatione, veritas tamen per revelationem cognita obscura adhuc maneret in se; ergo actus Fidei non clarus, atque perspicuus, sed obscurus esset omnino.

CAPUT VI.

De actu Fidei.

§. 442. *Def: Actus Fidei*, nihil aliud hic est, quam *actualis assensus*, quo *veritates revelatæ creduntur*.

§. 443. *Schol.* Duplex autem distinguitur; *internus* nempe, et *externus*. Primus est, qui in mente formatus extra eam non ostenditur; secundus vero, qui exterius quoque per signa manifestatur. Insuper Actus hujusmodi vel versatur circa veritatem determinatam secundum propriam speciem, puta: *credo in unum Deum*, et tunc dicitur Actus Fidei *explicitus*; vel versatur circa plures veritates in genere, aut in alia comprehensas; veluti: *credo quod S. Ecclesia credit*, et tunc dicitur *implicitus*. Circa hos Fidei actus nonnulla necessario scienda ostendemus. Sit propterea.

PROPOSITIO I.

In hominibus adultis ratione præditis actus Fidei internus necessarius; est necessitate tum medii, cum præcepti ad justificationem, et salutem.

§. 444. Prob. 1. P. Illud necessarium dicitur necessitate medii, sine quo finis nullo modo obtineri potest; Atqui sine Fide justificatio, et salus nequit obtineri; Ergo etc. P. min. Apud S. Marcum ait

Christus (Marci ult. v. 16.): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* S. Paulus quoque ad Hebraeos scribens, ait (Cap. XI. v. 6.): *Sine Fide impossibile est placere Deo*; et ad Galatas (Cap. III. v. 6.): *Ex Fide justificat gentes Deus*; Ergo etc. Hinc Tridentina Synodus (Sess. VI. Cap. VII.) ait: *Sine Fide, nulli unquam contingit justificatio*, et (Ibid. Cap. VII.): *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, radix omnis justificationis*; Ergo etc.

§. 445. Prob. 2. P. Apud S. Marcum (Cap. 1. v. 15.) inquit Christus Dominus: *Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei . . . . credite Evangelio*; Idipsum expresse docuit S. Joannes dicens (Epist. I. Cap. III. v.): *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus.* Ergo etc. Hinc jure, meritoque a Summo Pontifice Innocentio XI. damnata est sequens propositio (Num. 16): *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundum se.*

Objic: variis mediis

§. 446. I. Cuidam interroganti, quid opus fuisset ad salutem consequendam æternam, respondit Christus (Matthæi Cap. XIX. v. 27.): *serva mandata.* Unde Apostolus ad Romanos scribens ait (Cap. II. v. 13.): *Non auditores Legis . . . . sed factores Legis justificabuntur*; Ergo ad justificationem et salutem non est necessarius necessitate medii, vel præcepti actus Fidei internus in adultis.

§. 467. II. Fides non datur omnibus; ait namque Apostolus (I. Cor: Cap: XII. v. 9.): *Alteri datur Fides . . . . alii gratia sanitarum* etc. Ergo etc: non est necessarius etc.

§. 448. III. Ad salutem non est necessarius Fidei actus si ab omnibus Gentibus salus comparatur; Atqui ita est, dicente Joanne (Apoc: Cap. VII. v.

9.): *Vidi ex omnibus Gentibus stantes ante thronum et in conspectu agni*. Ergo etc:

§. 449. IV. Infantes sine actu Fidei morientes salvantur; ergo etiam adulti, cum non minus istis, quam illis necessaria sit Fides ad salutem, juxta illud: *Qui autem non crediderit condemnabitur*.

§. 450. R. ad singula. Et ad 1. Cum Christus juveni interroganti laudatis verbis respondit, voluit indigitare, ad salutem consequendam, Fidem solam, sine operibus non sufficere, non vero quod Fides non sit necessaria, et bona opera sola sufficiant. Christus namque juveni judæo loquebatur, in quo Fides supponebatur. Et sane si in illo Fides non fuisset, quomodo Dei mandata scire, et observare potuisset? Qui mandata Dei observat, necesse est credat in Deum; qui Dei mandata servat ut vitam æternam consequatur, credat oportet superesse hominibus, post mortalis hujus vitæ cursum, aliam vitam, quæ æternum durabit. Atque hoc eodem sensu loquutus est Apostolus, cum dixit factores Legis apud Deum justificari; non negat nempe, Fidem ad justificationem necessariam esse, initiumque salutis, sed vult, Fidem bona opera sequi debere, ut salus æterna obtineatur; alias non dixisset: *sine Fide impossibile est placere Deo* (Rom: IX. v. 16.).

§. 451. Ad 2. dist. antec: Fides patrandi miracula, conc:, Fides Catholica simpliciter, n. antec: cum consa. Laudato in loco loquitur de illa Fide, quam Christus Dominus (Matth. XV. v. 28.) magnam vocat, cum dicit: *O mulier magna est Fides tua;* et Apostolus ipse vocat: *Omnem Fidem*, dicens (I. Cor. Cap. XIII. v. 2.): *Si habuero omnem Fidem ita ut montes transferam;* de illa videlicet, quae adeo intensa est, ut ad miracula etiam patranda extendabatur, non vero simplici Fide Catholica, sine qua nemo justus esse potest, imo nec placere Deo.

§. 452. Ad 3. S. Joannes in Apocalypsi non vi-

dit ante Thronum Dei ex omnibus Gentibus, hoc est etiam infideles, sed Martyres ex omnibus Gentibus, sive quondam Barbaris, sive Gentilibus, qui Fidem amplexi, pro Fidei defensione sanguinem suum fuderant; unde et pro parta victoria, coronam in capite, palmam in dextera ferebant.

§. 453. Ad 4. tandem: cum parvuli actu Fidei capaces non sint, nequeunt comprehendi in illa sententia: *Qui autem non crediderit condemnabitur*; quare de adultis tantum eam protulisse Dominum, dicendum est.

PROPOSITIO II.

Homo tenetur actum Fidei elicere sæpe in vita; et præsertim in quibusdam temporibus, et circumstantiis.

§. 454. Prob. 1. Ex Apostolo Paulo (Hebræo. Cap. X. v. 38.): *Justus ex Fide vivit*; Ergo debita proportione servata, sicuti corpus sine frequenti alimento diu vivere nequit, ita nec anima sine Fidei frequentibus actibus Christianam, et spiritualem vitam diu conservare potest. Merito itaque ab Alexandro VII. damnata fuit hæc propositio (Num. 1.): *Homo nullo tempore vitæ suæ tenetur elicere actum Fidei . . . vi præceptorum divinorum*; Et ab Innocentio XI. hæc alia (Num. 15.): *Satis est actum Fidei semel in vita elicere.*

§. 455. Prob. II. P. Nam præceptum actus Fidei eliciendi obligat *per se*, et per *accidens*. Per se obligat 1. pueros Fideles statim ac eis rationis lumen affulget, et Fidei veritates sufficienter eis proponuntur; necnon infideles adultos, statim ac eis Fides sufficienter proponitur, hoc est cum habent motiva credibilitatis. Tunc enim tenentur ipsi ad Deum toto conatu tendere, ac ad eum accedere, quod sine Fidei actu obtineri nequit. 2. in quovis periculo mor-

tis. Sicut enim fidelis ex Fide vivit, ita debet ex Fide mori. 3. Cum urget gravis tentatio contra Fidem, quæ nonnisi per actum Fidei tentationi contrarium superari potest. Nam sicuti Fidei præceptum omnem dissensum, atque dubitationem contra Fidem prohibet, ita et media etiam servari vult, queis tentatio contra Fidem repellatur; sed inter alia media hujusmodi, est actus Fidei; Ergo etc. 4. Cum quis in hæresim, aut voluntariam dubitationem circa Fidem lapsus sit. Nam si primæ veritati per hæresim injuriam irrogavit, per novum Fidei actum debet talem injuriam resarcire. 5. Cum quis obligatur ad Fidem exterius manifestandam. Nam Fidei actus exterior sine interiori, vera Fidei professio dici nequit, sed potius manifesta, et detestabilis simulatio. *Per accidens* vero obligat 1. cum quis ad justificationem se præparat. Nam ex Tridentino (Sess. VI. Cap. VII.): *Sine Fide* (actuali nempe explicita) *nulli unquam contingit justificatio*. 2. Cum ad Sacramenta suscipienda accedimus. 3. Quando præcipuæ Festivitates ab Ecclesia celebrantur; veluti Nativitatis, Resurrectionis Domini nostri, Trinitatis etc.; et 4. quando urget aliqua gravis tentatio contra alias a Fide virtutes, ad quam superandam Fidei actus necessarius existimatur.

PROPOSITIO III.

Omnis simulatio Fidei alienae a Catholica prohibita est.

§. 456. Prob. Præcepto Divino jubemur, nec converti ad Idola; neque facere nobis sculptile, ut adoremus illud. In Levitico namque (Levitici Cap. XIX. v. 6.), ait Dominus: *Nolite converti ad idola, nec Deos conflatiles faciatis vobis;* et in Exodo (Cap. XX. v. 4.): *Non facies tibi sculptile, neque om-*

nem similitudinem etc. . . . . . Non adorabis ea. Atqui ex Tertulliano (Lib. de Idol. 3. et 22.), *Idololatria est omnis circa idolum famulatus, et servitus . . . . atque negat quicumque dissimulat in quacumque causa pro Ethnico habitus*; Ergo etc. Ulterius simulare alienam Fidem est ostendere propriam Catholicam Fidem deseruisse, Idololatris consentire, aut hæreticorum erroribus; Atqui hoc est praebere aliis fidelibus execrabile scandalum; et vulnus saevum veracitati Fidei nostræ infligere; Ergo etc. Optime hinc Eleazarus magnus, et gloriosissima memoria dignus vir Judaeus, cum pro patriis Legibus, et pro Fide ductus ad supplicium, a quibusdam, iniqua miseratione commoti incitaretur, ut simularet carnes vetitas manducasse, sicut Rex imperaverat, sicque a morte liberaretur (1), *respondit cito*, dicens, *præmitti se velle in infernum. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum: et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ decipiantur etc.* Unde mori potius voluit, quam alienam Religionem simulare.

§. 457. Objic: variis mediis. Ac I. Propheta Elisæus Naaman Syro ad veram Fidem converso permisit ut Regi Idolum Remmon adoranti inserviret (Lib. IV. Regum Cap. V. v. 18.), sicque videretur Religionem alienam simulare; Ergo etc.

§. 458. II. Deinde Deus adprobavit quod fecit Jehu, dum simulavit se velle offerre sacrificium Idolo Baal (Ibid. Cap. X. v. 30.); Ergo etc.

§. 459. R. III. Promulgari cum cæperit Jesu Christi Evangelium Mosaicæ caeremoniae erant mortuae, imo S. Hieronymi sententia, etiam mortiferae, sed ta-

---

(1) Lib. II. Machabaeorum Cap. VI. v. 23. et seq.

men eas Apostoli observarunt; qua quidem observatione, Legem Mosaicam simulabant, quae jam fuerat abrogata; Ergo etc.

§. 460. IV. Ioci gratia, uti fit in Comediis, licet falsam Religionem simulare, Turcarum turbantem deferre; Ergo etc.

§. 461. R. ad singula. Et ad 1. Naaman Syrus petiit et obtinuit ab Elisaeo ut politicum tantum, et civilem famulatum Regi suo praestaret, sicuti in aliis locis, ita et in Templo, non vero ut alienam Religionem simularet. Ipse namque sicuti protestatus fuerat Prophetæ, dicens (Lib. IV. Regum Cap. V. v. 17.): *Non enim faciet servus tuus ultra holocaustum. . . . nisi Domino*, ita implevit.

§. 462. Ad II. illud vero quod de Jehu asseritur; adprobavit quidem Dominus quod ille fecit, sed non quoad omnes circumstantias. Adprobavit namque quoad zelum ostensum in destructione cultus Idoli Baal, non vero quoad simulationem alienae Religionis.

§. 463. Ad III. Lex Mosaica statim a morte Christi non fuit mortua simul et mortifera (§. 197.); unde justis de caussis Apostoli licitam sibi fecerunt observationem aliquarum ejus cæremoniarum; neque hoc Legem Mosaicam simulasse dicendi sunt.

§. 464. Ad IV. Ioci caussa, atque in Comediis ideo licita est falsae Religionis simulatio, quia omnes qui ad Theatra conveniunt, præventi sunt ibi falsam Religionem representari, omnesque in ea actores apparenter tantum partes ministrorum, vel cultorum falsæ Religionis sustinere; unde scandalum seductionis abest.

PROPOSITIO IV.

Fidelibus necessitate praecepti, obligatio incumbit Fidem exterius profitendi.

§. 465. Prob. Apud S. Matthæum ait Christus (Cap. X. v. 32. 33.): *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus negabo et ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est.* Idipsum repetit apud S. Lucam (Cap. IX. v. 26.); Ergo etc. Deinde Apostolus ad Romanos scribens, inquit (Cap. X. v. 9. 10.): *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris . . . salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Hinc S. Augustinus (Lib. de Fidem et Symb. Cap. I.): *Fides, a nobis exigit duplex officium, cordis, et linguæ; nec salvi esse possumus, nisi Fidem ore profiteamur.* Ergo etc.

§. 466. *Objic: Variis mediis.* Ac J. Christus Dominus Regi Herodi interroganti non respondit. Ergo et nos possumus non respondere Tyranno interroganti de nostra Fide.

§. 467. II. Qui silentio abscondunt veram Religionem, non ideo dicendi sunt, quod eam negant; Ergo etc.

§. 468. III. Tyrannus non est legitimus judex; Ergo nullus tenetur ei rationem reddere de proprie Fide.

§. 469. IV. Videtur saltem per leve mendacium, aut tergiversationem, Fidem abscondi posse. Ergo etc:

§. 470. R. ad singula. Et 1. Cur Christus in sua passione repondere noluerit Herodi certo statuere non possumus; illud certissimum scimus, ipsum, semper respondisse interrogationibus sibi factis, quoties Patris gloria, ipsius divinitatis manifestatio, hominumque instructio, atque exemplum expostulabat; quod satis nobis est, ut convincamur, nobis de Fide

respondendum, cum id exigat Dei gloria, ac proximi aedificatio.

§. 471. Ad II. Esto silere Religionem proprie non sit Fidem negare, est tamen expresso Domini praecepto contradicere, quo Fidei confessio in datis temporibus, atque circumsantiis praecipitur.

§. 472. Ad III. Nos non dicimus teneri ad Fidem exterius manifestandam, quia Tyrannus est legitimus Iudex, sed quia id a nobis exigit nostra Catholica Religio; quae Fidei confessionem exigit, ut mox diximus.

§. 473. Ad IV. tandem. Cum mendacium sit sua natura intrinsece malum, in nullo casu potest esse licitum. Et quamvis aliquando potest esse leve peccatum, in materia tamen Fidei, semper grave foret. Hinc si Christus erubescit, qui eum coram hominibus erubuerit, multo magis erubescet, qui per mendacium eum abscondit. Neque minus licitum est tergiversari, quandoquidem tergiversatio ad Dei injuriam, et proximi damnum inservit.

PROPOSITIO V.

Præceptum hoc adfirmativum Fidei exterius profitendi, in duplici casu præsertim obligat: 1. quando honor Deo debitus; et 2. utilitas proximo impendenda subtrahuntur.

§. 474. Prob. Deus toto corde, totisque viribus diligi debet; atque actibus tum internis, cum externis coli (§. 634. T. II.); ergo quoties non profitendo Fidem exterius, Deo debitus honor subtrahitur; vel quia Christum erubescimus; vel quia ansam infidelibus præbemus de nostra Religione obloquendi, eamque cachinnandi cum Dei contemptu, debemus Fidem exterius profiteri; adeoque etc. Hinc jure Innocentius XI. hanc damnavit propositionem (Num. 28.): *Si a potestate*

publica quis interrogetur Fidem ingenue confiteri, ut Deo, et Fidei gloriosum, consulto tacere, ut peccaminosum per se non damnò. Deinde praecepto Divino tenemur non solum nulli malum aliquod corporale, et multo minus spirituale facere: sed et insuper bonum quod possumus sive corporale, sive spirituale velle et facere (§. 175.); Ergo Fidem obligamur exterius profiteri, quoties vel prudenter speratur infidelium conversio ad Fidem; vel occultando Fidem adest proximo periculum, vel a Fide deficiendi vel in ea vacillandi: Hinc Magnus Doctor Augustinus (Lib. de Fide et Symb. Cap. I.): Salvi fieri non possumus, *inquit*, nisi et nos ad proximorum » salutem nitentes, etiam ore profiteamur Fidem, » quam corde gestamus ».

PROPOSITIO VI.

Secluso scandalo, et proximi damno, persecutionis tempore fugere licet.

§. 475. Prob: Nam apud S. Matthæum (Cap: X. v. 23.) dixit Christus Discipulis suis: *Cum autem persequentur vos in Civitate ista fugite in aliam.* Quae verba sive contineant praeceptum, sive consilium, licitam reddunt Fidelibus fugam tempore persequutionis. Et sane Christus ipse suo exemplo doctrinam hanc suam probaverat, cum ab Herode Rege ad necem quaesitus fugit in Ægyptum; probavitque pluries, praesertim cum (Lucae IV. v. 30.) volentes eum Judaei de monte praecipitare: *Ipse transiens per medium illorum ibat.* Et cum (Joann: X. v. 59.) Judaei: *Tulerunt lapides ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, et exivit de Templo.* Idipsum fecerunt Apostoli, et alii virii Sancti, qui melius judicarunt, tempore persequutionis, se fugae committere, vel abscondere, quam temere se expo-

nere tortoribus. Quod si plerique ultro et alacriter Tyrannis se obtulere, id non sine speciali Spiritus Sancti impulsu factum fuisse, dicendum est. Ergo secluso etc.

§. 476. Dices. 1. Fidelis, Christi mandato debet Fidem confiteri; Sed qui persequutionis tempore fugit, Fidem non confitetur, Ergo etc.

§. 477. R. conc: maj:, n. min, et consm. Qui tempore persecuutionis fugit, non ideo dicendus est, quod Fidem non confiteatur. Nam ipsa fuga quaedam Fidei manifesta confessio est. Sane ad quid fugit Fidelis, dum contra Fideles, et Fidem persequutio viget? fugit equidem, ne Fidem periculo exponat, eamque sarctam tectamque conservet, ergo Fidei detrimentum non affert, dum fugiendo a persequutione se subtrahit.

§. 478. Dices. 2. Christus Dominus vocat mercenarios, qui tempore persequutionis dimittunt oves, et fugiunt; Ergo etc.

§. 479. R. Christus Dominus loquitur de Pastoribus, qui ut suam sibi vitam salvent, tempore persequutionis dimittunt oves a lupis repacibus devorandas, et alibi fugiunt, nihil de ovibus suis solliciti. Quod si Pastoribus ipsis justa, et rationabilis causa sit persequutionem declinandi, ut nempe se bone et utilitati Ovium suarum servent; tunc et illis etiam fugere licitum erit; Unde et Paulus (Philipp: I. v. 24) dixit de se: *Permanere autem in carne necessarium propter vos.*

Quaeres. *Quænam homo credere debet necessitate medii, et quænam necessitate præcepti?*

§. 480. R. 1. Fides explicita existentiae Dei ut auctoris gratiae, et remuneratoris nedum in hac vita, sed potissimum in alia, fuit quovis tempore hominibus necessaria necessitate medii ad salutem. Nam Apostolus ad Hebræos scribens ait (Cap. XI. v. 6.): *Credere enim oportet accendentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Jure propte-

rea ab Innocentio XI. sequens propositio damnata fuit (Num. 22.): *Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

§. 481. R. II. In statu Legis Naturae, et Moysis necessaria fuit necessitate medii ad salutem Fides actualis implicita in Christum Redemptorem; in hac tamen Lege Evangelica omnino Fides explicita Mysterii Incarnationis necessaria est. Nam (Actorum Cap. IV. v. 11.): *non est in alio aliquo salus* (nisi in Christo Redemptore), *nec aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus* (præter illud Jesu), *in quo oporteat nos salvos fieri*; Ergo necessaria fuit Fides implicita saltem in Christum Redemptorem, tam in Lege naturae, quam Moysis; Explicita tamen in Lege Evangelica; quia Redemptio jam peracta est, et Fides Redemptoris sufficienter promulgata; Unde ait Christus ipse apud Joannem (Cap. III. v. 18.): *Qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.*

§. 482. R. III. In Nova Lege est etiam necessaria necessitate medii ad salutem Fides Mysterii SS. Trinitatis. Nam ait Christus (Matth. ultimo v. 19.): *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti.* Et sane si Fides explicita Incarnationis necessaria est necessitate medii ad salutem, multo magis necessaria est necessitate medii Fides explicita Trinitatis, quia illa sine ista haberi nequit. Etenim *in Mysterio Incarnationis Christi hoc continetur*, ait Angelicus Doctor (I. 2. q. 2. art. 8.): *quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus Sancti Mundum renovaverit, et iterum quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit . . . . . et ideo etiam post tempus gratiae divulgatae tenentur omnes ad explicite credendum mysterium Trinitatis.* (1).

---

(1) Haec materia fuse pertractata fuit Cap: VII. T. III. Quare superfluum esset hic plura addere.

§. 483. R. IV. Necessitate praecepti tenentur 1. adulti ea omnia credere, quae necessitate medii credenda sunt. Nam si quilibet tenetur propriam aeternam salutem quaerere, tenetur etiam media ponere ad eam consequendam. 2. tenentur explicite credere omnes articulos, qui in Symbolo Apostolorum continentur. Etenim Christianus adultus, Christi praecepto, obligatur ad credendum Evangelio (§. 445.); Atqui ex Augustino (Libro de Fide et Symbolo.); Symbolum est summa eorum, quae in Evangelio continentur; et est *Regula Fidei nostrae* Id. Serm. 135. de tempore.) *brevis, et grandis; brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum;* Ergo etc. 3. tenentur scire, et credere orationem Dominicam; Quare citatus S. Augustinus (Semone 265.): *Symbolum, inquit, vel orationem Dominicam et ipsi tenete, et Filiis vestris ostendite; nam nescio qua fronte se Christianum dicat, qui paucos versus in Symbolo, vel oratione Dominica parare dissimulat.* 4. tenentur scire et credere Decalogum; Nam ut homo suam aeternam salutem consequatur, debet Dei Legem in Decalogo contentam observare; Quomodo autem eam observabit si eam ignoret, aut non credat eam esse a Deo? 5. tenentur scire et credere Sacramenta a Christo Domino instituta; quae ex illis necessaria sint necessitate medii, quae aliquando suscipienda. Atque haec satis de Fide. Nunc.

DE SPE

Germana Fidei Spes est, quod illa futurum credit, haec sibi incipiat sperare futurum. Hinc S. Augustinus (Enchird. Cap. VIII.) *Fides, inquit, sine Spe esse non potest.* Ea proinde sicuti et Fides (§. 480. et seq:) necessaria est necessitate medii ad salutem. De Spe itaque, brevi calamo agemus.

CAPUT VI.

De natura Spei.

§. 484. *Animad*: Spei vocabulum varie a Sacris Auctoribus usurpari solet. Aliquando enim sumitur pro *desiderio*, vel *expectatione* alicujus boni sive temporalis, sive spiritualis. Ita de claudo eleemosinam a SS. Petro, et Joanne petente, legitur (Actorum Cap. III. v. 5.), quod *intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis*, et de discipulis euntibus in Emmaus, et invicem cum Christo loquentibus (Lucae Cap. XXII. v. 21.): *Sperabamus quod ipse esset redempturus Israel.* Aliquando sumitur pro ipso bono desiderato et sperato; veluti cum dicitur (Psal. 90. v. 6.): *Tu es Domine spes mea: Expectantes* (Ad Titum Cap. II. v. 12.) *beatam spem etc.* Verum proprie hic sumitur pro *actu spei*, quo bona supernaturalia a Deo speramus. Quoniam vero habitus ab actibus denominatur, ille habitus a Deo supernaturaliter infusus, quo ad eum actum eliciendum inclinamur, vocatur etiam spes, de qua dicebat Job (Cap. XIX. v. 27.): *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

§. 485. *Schol.* Porro Spem esse virtutem stricte sumptam negavit Durandus. Lutherus, eam quidem virtutem esse non negat, sed tamen cum Fide confudit, quam fiduciam esse dixit. Contra quos sit.

PROPOSITIO I.

Spes est Virtus Theologica divinitus infusa, qua certa cum fiducia, æternam beatitudinem, Dei auxilio comparandam, expectamus.

§. 486. Exponitur, et simul probatur Propositio. Virtus illa dicitur, quae hominem perficit, ac beat;

Atqui talis est Spes: *Beatus* namque *vir*, *qui sperat in eo* (Psal. 33. v. 9.); Ergo Spes est virtus. Deinde Spes circa Deum proxime versatur, qui dicitur et est *merces nostra magna nimis* (Genesis Cap. XV. v. 1.); Atqui Deus est Theologiae obectum (§. 6. Proleg. T. I.); Ergo Spes est virtus Theologica. Praeterea ex Tridentino (Sess: VI. Cap. VII.), virtutes Theologicae a Deo homini infunduntur; Atqui Spes est virtus Theologica; Ergo est divinitus infusa. Insuper certa fiducia aliquid obtinendi tunc vere habetur, cum is in quo speratur, sit potens facere quod speramus, sit sapiens, ut sciat exequutioni mandare, quod ab ipso speramus, et sit fidelis, et bonus, ut velit, quod speramus nobis impartiri; Atqui talis est nostra fiducia; Deus enim in quo, et a quo speramus, *Potens est* (Epist. II. ad Corinth. Cap. IX. v. 8.) *omnem gratiam abundare facere in vobis;* sapientissimus est, et qui novit media ad nostram salutem conducentia adhibere, prout expedire cognoscit; insuper amantissimus, et fidelissimus, qui neminem in se sperantem nimium affligi permittit; et (Psal. 17. v. 31.): *Protector est omnium sperantium in se.* Hinc ipsemet Psalmista ajebat: *In Deum sperans* (Psal. 25. v. 1.), *non infirmabor* etc.; Et Ecclesiasticus (Cap. II. v. 11.): *Nullus speravit in Domino et confusus est.* Ergo fiduciam certam habemus, Spem Theologicam habentes. Tandem beatitudinem, quam Spe a Domino expectamus, non expectamus obtinendam nostris meritis, viribus naturae acquisitis: *Non sumus enim sufficientes*, nequidem *cogitare aliquid a nobis, tamquam ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est* (§. 130. Tom. IV.); Ergo beatitudinem Dei auxilio comparandam expectamus; Adeoque etc.

PROPOSITIO II.

Spes a Fide, et Charitate realiter distinguitur.

§. 487. Prob. Nam illae virtutes realiter inter se distinguuntur, quae habent diversos actus, atque objecta diversa; Atqui Fides, Spes, et Charitas habent diversos actus, et objecta diversa; Ergo realiter inter se distinguntur. Prob. min. Actus Fidei est credere; Actus Spei est desiderare; Actus Charitatis est diligere; Item objectum Fidei formale est Deus ut verax; Charitatis (uti dicetur) est Deus ut in se bonus; et Spei ut est bonus, et nobis promissus; Ergo Fides etc.; adeoque Spes a Fide etc. Id patet quoque ex Apostolo Paulo, qui has virtutes nominibus non solum distinxit, dicens (Epist. I. ad Corinth. Cap. XIII. v. 13.): *manet Fides, Spes, Charitas*; sed rebus, subjungens *tria hæc*; Ergo etc. (1).

CAPUT VII.

De objecto Spei.

§. 488. *Animad.* Spei objectum duplex est *materiale* scilicet, et *formale*.

§. 489. Def. 1. *Objectum materiale Spei est id, circa quod ipsa occupatur*; nempe quodvis bonum supernaturale respiciens, vel continens hominum beatitudinem.

§. 490. *Def. 2. Objectum vero formale Spei est id quod est ratio, propter quam Spes versatur circa objectum suum materiale, et propter quam a cæteris virtutibus Theologicis distinguitur.*

---

(1) Vid Ex-Charmes de Virtut. Theolog. Cap. III. de Spe.

§. 491. *Schol.* Objectum materiale Spei duplex est; *primarium* nempe, et *secundarium*, illud primario, hoc secundario Spes respicit. Objectum formale pariter duplex est; scilicet formale *quod*, et formale *quo*, ut loqui amant Scholastici.

§. 492. *Def.* 3. *Objectum formale quod Spei est illa objecti materialis perfectio, quæ voluntatem movet ad illud appetendum; objectum vero formale quo Spei est ratio illa, qua voluntas aeternam respicit beatitudinem.*

PROPOSITIO I.

Primarium materiale objectum Spei est Deus ipse; secundarium vero sunt media ad illum perfruendum conducentia.

§. 493. Prob. 1. P. Illud est primarium materiale objectum Spei, quod est nobis primo, et principaliter desiderabile; et per quod caetera alia sunt nobis appetibilia; Atqui talis est Deus; Ipse namque est summum bonum; omne bonum, et totum bonum; et a quo bona alia cuncta procedunt; Unde et merces nostra magna nimis, dicitur; nostra quoque felicitas, et beatitudo; Ergo etc.

§. 494. Prob. II: P. Finis sine mediis obtineri nequit; nequit ergo aliquis finis alicujus consequutionem sperare, quin speret consequi media ad finem illum consequendum conducentia; Atqui Deus est primarium Spei objectum materiale (§. 493.), et præcipuus finis hominis; Ergo objectum secundarium Spei sunt media ad illum conducentia.

PROPOSITIO II.

Objectum formale quod *Spei est Deus, ut summum bonum nostrum a nobis possidendum.*

§. 495. Prob. Illa perfectio est objectum formale *quod* Spei, quae nos movet ad illud appetendum; atqui summa divina bonitas, seu Deus, ut bonus nobis, et summum bonum nostrum a nobis possidendum est illa perfectio, quae movet nos ad sperandum, et ad Deum appetendum; Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Objectum formale quo *Spei est promissio Divina.*

§. 496. P. Nam Apostolus Paulus fideles excitans ad ponendam Spem omnem in Deo, atque omnem curam in eum fidenter jactandam, nullam fortiorem rationem illis adducit, quam Dei fidelitatem in exequendis promissis. Ait siquidem (Epist. I. ad Corinth. Cap. X. v. 13.): *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (Epist. I. ad Thessalon Cap. V. v. 24.). *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia... fidelis est, qui vocavit vos; qui etiam faciet.* Et ut alia taceamus: *Teneamus*, inquit ad Hebræos scribens (Cap. X. v. 23.): *Spei nostrae confessionem indeclinabilem: fidelis enim est qui repromisit.* Et sane ratio illa, quae nos movet ad sperandum cum certa fiducia, est quia Deus diligentibus se bona invisibilia, et magna promisit, et praeparavit. Ait siquidem Christus Dominus (Joan. Cap. X. v. 27.): *Oves meæ vocem meum audient.... Et vitam æternam do eis* (Ibid. Cap. XIV. v. 23.). *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus*

diliget eum, et ad eum veniemus; et mansionem apud eum faciemus. (Vid. Dupasquier. Tomo V. Disp. VIII. q. 3.); *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit etc. Ergo.*

Satisfit objectionibus.

§. 497. *Objic.* 1. Si objectum formale nostræ Fidei esset Deus, ut subjectum bonum amabile amore concupiscentiae supernaturalis, seu esset Deus ut bonus nobis, non amaremus Deum propter se, sed propter nos; atqui inordinatus est iste amor; rectus enim ordo postulat, ut omnia ad Deum, ut ad ultimum finem, referantur, non vero ut Deus referatur ad nos; Ergo etc.

§. 498. R. dist. maj; si et non amaremus Deum propter nos tantum, itaut praecise amaremus proprium commodum, et sisteremus in illo, conc., secus n. maj. Atqui inordinatus est iste amor, si voluntas proprium comodum unice amet, conc. min:, secus, n. min., et consam. Itaque amor concupiscentiae honestus esse potest et inhonestus, malus, et bonus; si nimirum voluntas desiderans bonum aeternum, ut sibi commodum proprium quaerat, ac speret praecise commodum, in eo unice sistat, nec aliud quaerat, profecto ille amor voluntas illa, nec recta est, nec ordinata, sed mala ac perversa dicitur concupiscentia. Si enim voluntas bonum illud desiderans, illud appetat tamquam suum commodum, ut nempe plus illud in se amet amore amicitiæ, eoque magis fruatur, tunc sane voluntas illa recta est, et ordinata, bona, et sancta in se dicitur concupiscentia. In hoc ergo sensu, inquit Doctor noster Subtilis, quod sperare bonum mihi, non variat rationem formalem objecti, quia non commutat bonum honestum in bonum utile; Siquidem hoc in sensu mihi bonum infinitum desiderando, non utor fruendo, sed furor eo; cum eo tendat desiderium istiusmodi, ut

scilicet bonum illud plus amem in se, et amore amicitiae. Hinc Augustinus in suo manuali inquiebat, (Cap. 10): « accende me Domine voluntate, et concupiscentia tua, quia sancta est, et bona; juxta illud Psal. 83. *Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Illud vero, quod in argumento subnectitur, quod nempe inordinatus est ille amor, quo Deus refertur ad nos, tamquam ad finem, verum esse, cum Deus refertur ad nos tamquam ad finem, *cujus gratia*; non vero cum Deus refertur ad nos tamquam ad finem, *cui*: Quod ut intelligatur, sciatur oportet, quod finis *cui*, est persona, cui optatur bonum, quod aliquando tanti existimamus, ut ipsum sit quoque finis *cujus gratia* multa facimus. Sic sapientia, Ex gr. est finis, *cujus gratia*, quia propter illam comparandam oramus, laboramus. Nos aute sumus ejus finis *cui*, quia illam in nobis optamus: contra vero sumus finis *cujus gratia* pecuniae, alimentorum, et necessariæ suppellectilis, quae nobis acquirimus; cum hæc omnia non sint bona propter se expetibilia, quemadmodum sapientia; sed propter nos dumtaxat, tamquam necessaria, et ad usus nostros accomodata. Porro turpe et flagitiosum est, Deum ad nos referre, tamquam ad finem *cujus gratia*; id enim est, Deum minoris facere, quam nos ipsos, et praepostero ordine uti fine ultimo, tamquam medio. « Omnis humana perversitas est (ad rem Augustinus lib. 83. quaest. cap. 3.), quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui; et rursus omnis ordinatio, (quae etiam virtus nominatur) fruendis frui, et utendis uti. Fruendum est autem honestis, et utendum utilibus. Ast vero honeste, ac pie Deum ad nos referimus, tamquam ad finem. Hoc enim ipso testamur summam ejus bonitatem, ac omnino divinam perfectionem, tantique eum facimus, ut ipse Deus sit quoque noster Finis, cujus gratia multa operamur. Testamur inquam eodem ipso summam Dei bonitatem, ac per-

fectionem; nam sicut subditus Principem suum honorat, dum benevolentiam ejus sibi conciliare satagit, ejusque gratiam seu favorem amicitiae cujuslibet amici præponit; ita et eodem modo nos Deum honoramus, cum ipsum ad nos ipsos referimus; defertur etenim ad nos, sicut causa ad effectum, fons ad rivulum, plenitudo ad vacuum, misericordia ad miserum, perfectivum ad perfectibile.

§. 499. *Contra*. Atqui si objectum formale nostræ spei est Deus ut summum bonum amabile amore concupiscentiae, amor ille esset inordinatus, et malus; ergo etc. Prob. subs. Amor qui oritur a virtute Theologica debet esse supernaturalis; Sed in casu, amor, qui oritur a virtute spei est naturalis; Ergo etc. Prob min. Amor ille, vel est amor proprius, vel saltem oritur ex amore proprio, in quo ratio est amandi naturalis, cum ipse amans ejusque utilitas sit ratio amandi, non vero bonitas increata, ut ad virtutem theologicam requiritur; ergo in casu amor etc, adeoque etc.

§. 500. R. cum doctissimo Suarez: quod amor ille, licet supponat naturalem sui ipsius amorem eo modo, quo gratia supponit naturam; adhuc tamen, vere et proprie supernaturalis est. Amor enim specificatur ab objecto quod amatur; bonum vero quod per virtutem spei amamus, absolute, ac simpliciter est supernaturale, et obedientiale ad ipsam potentiam, seu capacitatem. Unde in hoc amore natura sese elevat, aliterque sese diligit, cum sit naturaliter diligibilis: eo quia non tantum naturalem perfectionem, seu naturaliter attingibilem, sed maxime supernaturalem sibi amat, optatque objectum, quod formale spei theologicae; et ratio amandi non sola utilitas nostra, sed est bonitas inchoata Dei, etsi considerata non ut bonum Dei, sed ut bonum necessarium. Non est igitur inordinatus, ac pravus, sed bonus, ac Sanctus amor ille, qui a Spei virtute proficiscitur.

§. 501. *Contra*. Atqui amor Spei est in ordina-

tus et malus; ergo etc. Prob. subs. Amor mercenarius inordinatus est, et malus; Atqui amor spei est mercenarius ex D. Bernardo (tract. de diligendo Deo cap: 2. qui sic loquitur: « est, qui confitetur Domino, quoniam potens est; et qui confitetur, quoniam sibi bonus est; et item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, et timet sibi: 2. mercenarius, et cupit sibi: 3. Filius, et defert Patri. Itaque et qui timet, et qui cupit, utriusque pro se agunt; ergo etc.

§. 502. R. dist. maj. amor mercenarius stricte sumptus, qui nempe pro mercede expectat temporalia quo sensu Ioann. reprobatur pastor mercenarius, inordinatus, et malus est, conc. min., amor mercenarius in lata significatione, qui præter Deum aliam mercedem non intendit, n. maj: min; et consam. Veritas allatae dist. ex eo liquet, quod Christus. Matt. 5. spe hujusce mercedis nos nutrivit, ac roboravit: *Gaudete* inquit, *et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis;* et Hebraeor 11. commendatur Moises quod in hujusmodi remunerationem aspexerit. Porro D. Bernardus de eo loquitur, qui intuitu bonorum temporalium Dei facit opus « Facit, et Mercenarius, inquit loco in argumento laudato, sed quia non gratis, propria trahi cupiditate convincitur ».

§. 503. *Objic.* 2. Asserere Deum ut bonum nobis esse objectum formale nostrae spei, perinde est ac dicere posse hominem sese diligere amore supernaturali; Atqui talis amor ad charitatem spectare videtur non vero ad Spem theologicam, qua ratione Theologi dicere solent, quod velle sibi beatitudinem, aliaque supernaturalia bona sit charitatis officium; ergo Deus etc.

§. 504. R. nos tam per Charitatis, quam per Spei virtutem posse nos ipsos dilectione supernaturali diligere, et beatitudinem, aliaque bona ordinis etiam superioris nobis optare. Cum hoc tamen discrimine,

Charitas in sui amore proxime, et immediate non respicit proprium naturae commodum, atque utilitatem, sed Deum, ut in se bonum, amor vero, qui a spei virtute oritur, proxime, ac immediate amantis respicit commodum, propriæque naturae utilitatem. Unde est, quod prior amor amicitiae, posterior vero amor concupiscentiae a nostro Doctore Scoto, caeterisque Theologis appellatur. Etsi vero amor spei immediate, ac proxime amantis commodum spectet; talis tamen est naturae, ut non sistat in honestate, sed ultimate in Deum tendat, tamquam in finem, cujus gratia multa facimus. Hoc enim amore amando nos ipsos, amamus conjunctionem nostri cum Deo, tamquam cum ultimo nostro fine supernaturali; atque hinc est, quod amor iste, licet amore, et charitate elicito, minus sit perfectior, bonus tamen est, atque ordinatus; ejusmodi enim est, ut perfectiorem charitatis motum non excludat, quinimo ad ipsam disponat. Spes (inquit D. Thomas quaest. 17. artic. 8.) introducit ad charitatem, in quantum aliquis sperans remunerari a Deo, accenditur ad amandum Deum, et servandum praecepta ejus.

§. 505. *Contra.* Atqui amor, quo homo sese diligit amore supernaturali ad charitatem spectat, non vero ad spem theologicam; ergo a capite argumentum; Prob. min. subsm. Velle alteri, seu proximo beatitudinem ex amore supernaturali, officium est charitatis; ergo a simili, velle sibi beatitudinem ex amore supernaturali ad charitatem spectat, non vero ad spem theologicam; adeoque etc.

§. 506. R. conc: antec: ans. N. consam, et parit. Ideo enim desiderare proximo beatitudinem, aliaque supernaturalia bona, officium est charitatis, quia amor ille ex amore benevolentiae, seu amicitiae procedit. Nimirum objectum formale, ac motivum desiderii, quo speramus alteri beatitudinem, nequit esse nisi bonitas, quae in ipso reperitur; ac proinde de-

siderium illud non spei theologiae, sed charitatis erit actus: Ast velle sibi beatitudinem, est actus amoris concupiscentiae, eo quia per illum amorem, bonum proprium desideratur, non alienum; ideoque amor, quo homo sese diligit dilectione supernaturali, ad spem pertinet theologicam, non vero ad virtutem charitatis.

§. 507. *Contra.* Idem est alteri, seu proximo beatitudinem, ac velle sibi: Proximus enim est alter ergo; Atqui velle alteri beatitudinem officium est Charitatis; ergo etiam velle sibi beatitudinem ex charitate procedit, non vero ex spe theologica.

§. 508. R. Quod nos, cum dicimus velle proximo beatitudinem, officium, atque actum charitatis, illum spectamus, non ut nobis conjunctum, sed ut alterum a nobis, paenitusque secretum. Hanc considerationem ex D. Thoma desumimus quæst 15. artic. 3., ubi quaerens S. doctor, possit ne quis sperare beatitudinem alteri, hac cum distinctione respondet; vel proximus spectatur, ut alter a nobis, vel ut unitus, ac veluti unum quid per amorem, consanguinitatem, vel aliud simile vinculum: Si primo modo spectetur, non possumus illi sperare beatitudinem spe theologica, cujus ratio est, quia tum objectum formale, ac motivum desiderii, quo speramus alteri beatitudinem, non est bonitas divina, ut a nobis possidenda, sed bonitas, quae in proximo reperitur: atque hoc in sensu Augustinus in Enchiridio cap. 8. Fides inquit, et suarum rerum est, et alienarum. Spes autem nonnisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui eorum Spem agere perhibetur. Si vero Proximus 2. modo consideretur, ut scilicet aliquo vinculo nobis unitus, tunc sane actus, quo volumus illi beatitudinem, spei erit, non autem charitatis: illis enim tamquam nobis ipsis beatitudinem speramus. Jam vero proximus, ut dicebamus, non aliquo vinculo nobis conjunctus, in praesenti spectatur: sed ut alter a nobis, prorsusque

distinctus; ac separatus: recte hinc diximus, velle alteri beatitudinem, officium esse charitatis, velle autem sibi, ad spem theologicam pertinere.

CAPUT VIII.

De subjecto Spei:

§. 509. *Animad.* **Duplex a Theologis distinguitur** Spei subjectum, ***proximum*** **nempe**, et ***remotum***. Proximum est illa protentia animae, in qua habitus Spei residet, et a qua ejus actus elicitur. Subjectum vero remotum est **homo**, **qui habitum Spei habet**, ejusque actum elicit.

§. 510. *Schol.* Porro Spei proximum subjectum esse voluntatem, pauci negabunt. Nam cum quidquid bonum respicit, et circa bonum occupatur, in voluntate resideat, et a voluntate eliciatur, Spes et habitu, et actu in summum bonum possidendum tendens (§. 478.) proculdubio in voluntate residet; Adeoque Spei subjectum proximum est voluntas. De subjecto autem Spei remoto nonnulla quæruntur, quæ brevi calamo, sequentibus propositionibus resolvemus.

PROPOSITIO I.

Spes non manet in Beatis.

§. 511. Prob. Spes respicit Deum ut bonum possidendum, non ut jam in praesenti possessum (§. 480.), *Spes enim quae videtur*, ajebat Apostolus (Roman. Cap. VIII. v. 25.), non *est Spes*; Atqui Beati in Caelis Deum intuitive vident, et summo aeterno bono perfruuntur (§. 519. T. II.), absque timore ullo illud amittendi; Ergo etc.

§. 512. Dices. Beati in Caelo multa adhuc desiderant, et expectant, veluti suorum corporum glorificatio-

nem; proximi salvationem, unde et pro nobis orant, et optant, Deum fore nobis propitium. Ergo etc.

§. 513. R. « Cum Spes sit virtus theologica habens Deum pro objecto, principale objectum Spei » est gloria animae, quae in fruitione divina consistit, non autem gloria corporis » ait Angelicus Doctor (2. 2. q. XXII. art. 3. ad 4.). Quare desiderium illud quod habent gloriae corporis non est actus elicitus; nec theologicus, sed appetitus innatus animae respectu suae compartis; quoad vero proximi beatitudinem: « evacuata, ait idem S. Doctor (Ibid. q. XVIII. art. 2. ad 3. » evacuata Spe in » beatis, secundum quam sperabant sibi beatitudi» nem, sperant quidem aliis beatitudinem, sed non » virtute Spei, sed magis ex amore charitatis ».

PROPOSITIO II.

Spes non manet in damnatis.

§. 514. Prob. *In Inferno*, ait Ecclesia (In offic. Def.) *nulla est redemptio*; et damnati sciunt se numquam amplius fore a Deo misericordiam consequuturos; quod sunt in sempiternum a facie Dei projecti, quippe quod numquam visuri erunt Deum facie ad faciem: numquam beata vita fruentur, sed sempiterna mors depascet eos, eruntque in opprobrium sempiternum. Jam eorum aures personat terribilis illa Jesu Christi judicis in ipsos sententia (Matth. Cap. XXV. v. 41.): *Discendite maledicti in ignem aeternum.* Quare de illis scriptum est (Proverb. Cap. X. v. 28.): *Spes impiorum peribit* (Ibid. Cap. XI. v. 7.): *Mortuo homine impio non erit ultra Spes;* Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Spes manet in animabus existentibus in Purgatorio.

§. 515. Prob. Animae in Purgatorio existentes nondum Deo summo bono potiuntur; Ergo eum appetunt; atque expectant; Igitur etc. Prob. consa. Ad actum Spei Theologicae non aliud requiritur, quam desiderium boni absentis, et possibilis; Atqui hoc desiderium, et quidem fervidum in animabus in Purgatorio extantibus reperitur, ut unaquaeque dicat (Psal. 41. v. 1. 2), ut olim David: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, et vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem Dei.* Ergo etc. Praeterea, animae in Purgatorio existentes, licet certae sint de beatitudine obtinenda, ab ea tamen absunt, et sciunt se sacrificiis, eleemosinis, aliisque charitatis operibus posse a viventibus opitulari, ut citius a Purgatorio ad Superos, Deum intuiturae, avolent; et quoniam ipsae dum morabantur in terris, ejusmodi suffragia pro aliis exolverunt, ita sperant, et alios pro se talia exhibituros. Ergo Spes manet etc.

PROPOSITIO IV.

Spes manet in peccatoribus, at non in omnibus.

§. 516. Prob. Illa virtus manet in peccatoribus, quae requiritur tanquam dispositio necessaria ad peccatoris justificationem; Atqui talis est Spes ex Tridentina Synodo (Sess. VI. Cap. VI.); Ergo etc. In aliquibus autem non manet Spes; in illis nempe qui in peccatum desperationis prolapsi sunt; quia per hoc vitium Spei oppositum, Spem amiserunt.

PROPOSITIO V.

In Hæreticis, aliisque Infidelibus non est Spes.

§. 517. Prob. Haeretici aliique Infideles veram Fidem non habent; Ergo nec etiam Spem. Prob. consa. Ut quis speret beatitudinem, necesse est per Fidem placeat Deo; Atqui Haeretici Fidem non habent; Ergo non placent Deo, adeoque non habent Spem. Sane, ait S. Augustinus (In Enchir. Cap. VIII.): *Quid sperari potest, quod non creditur?*

CAPUT IX.

De Actibus Spei.

§. 518. *Animad*: Actus Spei sex praecipue distinguntur; et sunt 1. *fiducia*; 2. *Securitas*; 3. *constantia*; 4. *Consolatio*; 5. *Expectatio*; et 6. *Jucunditas*.

§. 519. *Def.* 1. *Fiducia est actus, quo in Deo omnem nostram curam jactantes, in eo absque confusione et timore speramus, atque confidimus.* De hac loquens Apostolus (Thessal. II. v. 2.): *Fiduciam inquit habemus in Deo.* Huic actui opponitur actus ille vitiosus, quo quis in homine sperat, atque confidit: de quo dicitur (Jer: 17. v. 15.): *Maledictus homo qui confidit in homine*; fiducia namque illius, Jobi sententia (Cap: VIII. v. 14.), est admodum debilis, et vana: Ait enim: *Sicut tela aranea fiducia ejus.*

§. 520. *Def*: 2. *Securitas est certitudo, qua fit ut de divinis promissionibus timere non possimus.* Hinc de Abrahamo loquens Paulus ad Romanos (Cap. IV. 20. 21.) inquit: *In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia . . . . Plenissime sciens, quia quaecumque promisit, potens est et facere.*

§. 521. *Def*: 3. *Constantia est virium adquisitio ad fortius pugnandum, atque tentationibus resistendum.* Hanc habebat David, cum dicebat (Psal: 29. v. 3.): *Si consistant adversum me castra non timebit cor meum; si exurgat adversus me praelium in hoc ego sperabo.* Et Job (XIII. v. 15.): *Si occiderit me in ipso sperabo.*

§. 522. *Def*: 4. *Consolatio est doloris, ac timoris mitigatio sequens ex depositione tristitiae enatae aut ex tribulationibus rite perfertis, aut ex Dei offensis condonatis.* De hac loquebatur Job (Cap: VI. 10.), cum dixit: *Hœc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat*; nec non David, dicens (Psal: 22. v. 4.): *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*; et (Ps: 50. v. 9.): *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exultabunt ossa humiliata.*

§. 523. *Def*: 5. *Expectatio est firma constantia, qua attendendo ad bona repromissa, tribulationes superantur.* Quare David (Ps: 26. v. 14.): *Expecta Dominum, viriliter age confortetur cor tuum et sustine Dominum.*

§. 524. *Def*: 6. *Jucunditas est gaudium a spe productum*: De hac dicitur (Psal: 33. v. 9.): *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus.*

PROPOSITIO

Actus Spei sunt adultis ad salutem necessarii, necessitate tum medii, cum praecepti.

§. 525. **Prob**: 1. pars iisdem momentis, quibus supra ostendimus Fidei necessitatem, Nempe, ait S. Bernardus (serm: X. in Psal. 9.) germana Fidei, speique cognatio est, ut quod illa futurum credit, haec sibi incipiat sperare futurum . . . . Dicit Fides parata sut magna, et inexcogitabilia bona a Deo fidelibus

suis. Dicit spes : mihi illa servantur ; hinc est, quod in Scripturis Sanctis Fides, et Spes soleant simul conjugi quasi una essent, eademque virtus, cum tamen essentialiter sint distinctae. Ita ad Rom. 4. v. 3. de Fide dicitur : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* ; de Spe vero v. 18. *quin in spem contra spem* credidit : Et ad Hebræos 11. v. 9. Fide demoratus est (Abraham) in terra repromissionis, tam in aliena ; hæc quoad Fidem. Quoad Spem autem v. 10. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem. Quia Spes Hebraeorum 11. indirecte ponitur in definitione Fidei : *Est autem Fides*, inquit Apostolus, *sperandarum substantia rerum* ; imo in Epistola ad Ephesios (cap. 2. et cap. 5.) increduli vocantur Filii diffidentiæ ; infirmus enim frustra credit se posse sanari a medico, nisi et speret se sanandum, quia ejus diffidentia signum foret ipsum non credere. Sicut igitur *accendentem ad Deum, oportet credere quia est*, quia pœnitentibus peccata dimittit, deprecantibus exaudit, inquirentibus se remunerator est ; similiter eadem speret necesse est ; alioquin Fides ejus inanis foret. Spes namque est dispositio necessaria tum ad veniam peccatorum obtinendam ex Conc. Trid. ses. 6. can. 6., juxta illud Proverbior 28. cap : 25. *qui sperat in Domino sanabitur* ; et Matt. 9. *Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua :* tum ad cæteras gratias impetrandas juxta illud Jacobi cap. 1. *Non ergo existimet homo ille qui hæsitat* diffidentia *quod accipiat aliquid a Domino*.

§. 526. Prob : eadem pars ex SS. Patribus. S. Clemens Alexandrinus (lib. 1. Stromatum) sic scribit « Fides est ad salutem inclinatio post quam timor, spes, et paenitentia. S. Ambrosius (lib. 1. de pœnitentia cap : 18.) : « Nemo, inquit, potest bene agere pœnitentiam, nisi speravit indulgentiam » S. Augustinus (serm. 352. alias 23. inter 50. homilias cap. 3.) docet, Spem non minus esse necessariam ad con-

servandam vitam spiritualem, quam respirationem ad vitam animalem « Judam traditorem, inquit, non tam scelus quod commisit, quam indulgentiae desperatio fecit pænitus interire . . . . quod fecit in corpore suo, hoc factum est in anima ejus . . . quomodo ergo, qui collum sibi ligant, inde se occidunt, quia non ad eos intrat spiritus aeris hujus: sic illi, qui desperant de indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffocant, ut eos Spiritus S. visitare non possit. Ex quibus sic argumentatur: illud est necessarium necessitate medii, sine quo nec remissio peccatorum, nec æterna salus obtineri potest; Atqui ex dictis, sine Spe adulti nec remissionem peccatorum, nec salutem æternam obtinere possunt; ergo Spes necessaria est necessitate medii.

§. 527. Prob: 2. P., quae est de necessitate præcepti tam naturalis, quam divini. Et. 1. quoad præceptum naturale; quia recta ratio exigit, ut assumamus media ad salutem necessaria; Atqui Spes, ex dictis, est medium ad salutem aeternam necessarium; Ergo etc.

§. 528. Prob: 2. quoad praeceptum divinum. Ps. 35. habetur. *Sperate in eum omnis congregatio populi.* Ecclesiastici 11. *Dirige viam tuam; et spera in illum.* Oseæ 15. *Spera in Deo tuo semper.* Atque in Epistola 1. D. Petri cap. 1. v. 13. *Sperate in eam, quæ offertur vobis gratiam.*

§. 529. Conf. auctoritate Alexandri V. qui proscripsit hanc propositionem: « Homo nullo umquam vitae suae tempore tenetur elicere actus fidei, spei, et charitatis, ex vi praeceporum divinorum ad eas virtutes pertinentium; » Ergo etc.

Quaeres. *Quandonam tenemur elicere actus Spei?*

§. 530. R. Ex communi Theologorum sententia, quinque praesertim in casibus ad illos tenemur. 1. nempe initio usus rationis; sicut enim tunc tenetur homo ad Deum se convertere per Fidem, ita et per

Spem, et Charitatem; 2. in articulo mortis, ut constat Ecclesiae praxi et disciplina, juxta quam solent Pastores, a quocumque fideli in ejusmodi casibus constituto exigere, ut eliciat actus Fidei, Spei, et Charitatis; 3. quando urget gravis tentatio contra Spem, et animus concutitur motibus desperationis; sicuti enim infidelitati opponenda est Fides, odio dilectio, superbiae humilitas; ita Spes desperationi; 4. Cum urget Poenitentiae praeceptum; nemo enim potest rite poenitere quin actum Spei eliciat veniam obtinendi. 5. tandem cum instat orationis necessitas; tunc enim cum Fide, et Fiducia postulandum est.

DE CHARITATE.

Mirum est quibus laudibus, quibusve nominibus gloriosis Charitas Sacris in Literis, et a SS. Ecclesiis Patribus celebretur. *Charitas*, ait Apostolus (Ad Coloss. Cap. III, v. 14.), *est vinculum perfectionis. Finis præcepti* (Epist. I. ad Tim: Cap. I. v. 5.). *Charitas*, inquit Apostolorum Princeps (Epist. I. Cap. IV. v. 8.), *operit multitudinem peccatorum. Charitas*, scribit S. Augustinus (De laude Charitatis.), *est anima litterarum, prophetiæ virtus, Sacramentorum salus, sapientiæ stabilimentum, divitiæ pauperum, vita morientium* (Homilia VII. in Joann.); *Radix omnium bonorum* (De Doctr. Christi.); *sola quae vincit omnia. Charitas*, ut alios practereamus, ait S. Prosper (Lib: III. de vita Contemplat. Cap. XIII.), *est summa actionum bonarum, salus morum, finis Cœlestium præceptorum, mors criminum, virtus pugnantium, palma victorum, anima sanctarum mentium, caussa meritorum bonorum* (Cassiodorus super Psal.); *quam Fides concipit, ad quam Spes currit, cui profectus omnium bonorum servit.* Nos interim ejus tractationem, necessariis, et utilioribus contenti, paucis absolvemus.

CAPUT X.

De Charitatis natura, atque divisione.

§. 531. *Animad.* Charitas varie solet accipi. Aliquando enim accipitur pro amore quocumque; ut cum dicitur (Proverb. XV. v. 17.): *melius est vocari ad olera cum Charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio.* Aliquando sumitur pro ipso Deo, ut cum ait Joannes (Epist. I. Cap. IV. v. 16.): *Deus Charitas est;* Aliquando accipitur pro amore, quo Deus nos diligit; ut cum dicitur apud Jeremiam (Cap. XXXI. v. 3.): *In Charitate perpetua dilexi te.* Aliquando tandem accipitur pro amore supernaturali, quo Deum vel proximum, actu vel habitu diligimus, ut cum dicitur ab Apostolo (Corinth. I. Cap. XIII. v. 2.): *Si Charitatem non habuero nihil sum.* Et de hac Charitate hic sermo est noster.

§. 532. *Scholion*; Esto autem *charitas*, uti ait S. Augustinus (Lib. de Civit. Dei Cap. VII.), idem in Scripturis significet ac *amor*, et *dilectio*; latius tamen *amoris* vox, quam *dilectionis*, et latius vox dilectionis, quam *charitatis* usurpatur. Nam *amor*, ait Frassen (De Virt. Charit. q. I.), omnem voluntatis affectum tam naturalem, et necessarium, quam supernaturalem, et gratuitum significat; *dilectio* præcise non denotat mutuum affectum duorum, vel plurium inter se, sed dumtaxat bonam voluntatem, quam ex electione, et librato consilio habemus erga aliquem potius, quam erga cæteros; *Charitas* vero significat mutuum affectum gratuitum, et supernaturalem, quem habemus erga Deum, aut proximum; unde Charitas sortitur amicitiae nomen. Amicitiæ nomen?

§. 533. Non equidem ait Durandus cum aliquibus. Nam amicitia in eo consistit, quod alter alteri bonum velit ex affectu, quo erga ipsum fertur; Jam vero non ita hominem diligit Deus, cum omnia prop-

pter sui gloriam operetur. Ulterius: amicus alteri amico benefacit; quid autem potest homo Deo benefacere, qui nullius eget? Praeterea amicitia æqualitatem exigit. Quare Hieronymus (In Michæ. Cap. VII.): *Amicitia*, ait, *pares aut accipit*, *aut facit*: Inter hominem autem et Deum inaequalitas infinita est; unde vera amicitia esse nequit. Tandem: inter amicos amor est manifestus; Atqui homo nescit utrum à Deo diligatur an non; Igitur etc. Sed fallitur quam maxime: Nam et Abraham *Dei amicus effectus dicitur* (Judith Cap. VIII. 2. 22.), et qui thesauro sapientiae usi sunt (Sap. Cap. VII. v. 14.) *participes facti sunt amicitiæ Dei.* Et Christus ipse discipulos suos non jam servos, sed amicos dixit (Joan. Cap. XV. v. 15.). Ad illa autem quae opponit Durandus, facilis est responsio. Et ad 1. Deus quidem omnia propter semetipsum tanquam ultimum finem operatus est, at non propter suam, sed propter nostram utilitatem. Unde ex affectu vult nobis bonum, quatenus nos ad se, ut ad praestitutum finem, in quo vera felicitas consistit, vult nos adducere. Ad 2. etsi Deus nullius egeat, possumus tamen ei velle bona, tum interne gaudendo quod illa possideat; cum externa, procurando, et exhibendo ei honorem et cultum. Ad 3. Inter Deum et hominem esto vera æqualitas non sit; cum tamen Deus homini gratiam santificantem tribuendo efficiat, ut ille suae Divinae naturae consors evadat, et filius Dei nominetur, et sit, quamdam æqualitatem proportionalem ei concedit, quo fit ut inter ipsum et hominem vera amicitia inveniatur. Ad ultimum tandem. Quamvis homo nesciat certo utrum a Deo diligatur, nec ne; potest tamen id ex conjecturis evincere, quod ad amicitiam sufficit: Etenim etiam cum homo alterum diligit, eique est amicus, illius dilectionem, et amorem, ut plurimum, ex effectibus, atque signis co-

gnoscit (1): Ceterum hæc dicta sint, ut fumo levius evanescant Durandi sophismata; satis enim erat Christum Jesum ore suo innuisse, suos discipulos, et in istorum persona, justos omnes tam veteris, quam novi fœderis suos amicos nuncupari, et reapse esse.

PROPOSITIO

Charitas est Virtus theologica divinitus infusa, qua Deus propter seipsum, et proximus propter Deum diligitur.

§. 534. Prob. et simul exponitur propositio. Et 1. quidem *Charitas est Virtus;* Nam hominem perficit ac beat; etenim *qui manet in charitate, in Deo manet* (Epist. Joan. Cap. IV. v. 16.), *et Deus in eo.* Quid vero poterit homini evenire perfectius, quam Deo per Charitatem adhærere, unusque Spiritus fieri cum eo? 2. Est *Virtus theologica*; Nam Charitas habet Deum pro objecto immediato materiali et Deum respicit. Est 3. *Divinitus infusa.* Nam virtutes Theologicae nonnisi a Deo infunduntur (§. 151. 152.); Unde Apostolus ad Romanos scribens, ait (Ad Rom. Cap. V. v. 5.): *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* 4. *Virtus qua Deus propter seipsum diligitur;* Hac enim ratione Charitas a Fide et Spe distinguitur; quia actus Fidei est credere, actus Charitatis est diligere; Ad Spem pertinet quidem Deum diligere, sed amore concupiscentiae, quia nempe bonitatem suam nobis participat; Charitatis autem proprium est Deum diligere amore amicitiae, quatenus nempe Deus in se bonus est. Tandem *pro-*

(1) Vid. Dupasquier Tomo V. Disp. X. q. II. Henno Tomo I. Tract. II. Disp. VI. q. 3.

ximus propter Deum diligitur. Etenim si proximus non diligeretur propter Deum, sed propter aliud motivum, Charitas dici non posset Virtus theologica.

Quæres. *Quotuplex sit Charitas?*

§. 535. R. Charitas duplex est, *habitualis* nempe et *actualis*: Prior est illa supra descripta (§. 534.); posterior vero, ex D. Augustino (Lib. III. de Doct. Christ. Cap. X.) est *animi motus ad fruendum Deo propter ipsum, et se, atque proximum propter Deum.* Atque hæc insuper alia est *perfecta*, alia *imperfecta*. Prima est illa quae multos habet intentionis gradus; secunda quae paucos.

CAPUT XI.

De charitatis objecto.

§. 536. *Animad.* De Charitatis subjecto hic solliciti non sumus: constat namque apud omnes, hujus virtutis subjectum proximum esse naturae rationalis *voluntatem*, quae *cordis* nomine designatur. Quare ab Apostolo dicitur (Roman. Cap. V. v. 15.): *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris;* et a Jesu Christo apud S. Lucam (Cap. X. v. 27.): *Diliges Dominum ex toto corde tuo;* Subjectum vero remotum esse Angelum, aut hominem tam in via, quam in patria; quia ut ait citatus Apostolus (Epist. I. ad Corint. Cap. XIII. v. 8.): *Charitas numquam excidit.* De objecto itaque Charitatis nonnulla statuenda hic relinquuntur.

PROPOSITIO I.

Primarium materiale objectum Charitatis est Deus; secundarium vero nos ipsi, et proximus.

§. 537. Probatur I. P. Illud est primarium cujusque virtutis materiale objectum, circa quod virtus primario per se occupatur, et ad quod caetera refert; Atqui Charitas per se primario versatur circa Deum, et ad illum cætera refert (§. 534.); Ergo etc.

§. 538. Prob. II. P. Charitas per se versatur secundario circa illas personas, quas Deus diligit; qui namque diligit amicum, amore benevolentiae, diligit etiam eos, eisque bona vult, quos amicus diligit; Atqui tam nos, quam proximus diligimur a Deo; Unde et ipsi ajebat Sapiens (Cap. XI. v. 15.) *Diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti;* Ergo etc. Deinde qui aliquem diligit, mandata ejus fideliter servat; Unde et Christus Dominus dixit discipulis suis (Joann. Cap. XIV. v. 15.); *Si diligitis me mandata mea servate*; Ergo qui Deum primario diligit, diligit secundario seipsum, et proximum, nam Dei expressum praeceptum est (Lucae Cap. X. v. 27.): *Diliges proximum tum sicut teipsum.*

Nonnullis argumentis oppositis occurritur.

§. 539. *Objic.* I. contra 2. p. Charitas non potest haberi minus quam inter duos; nam, ut ait S. Gregorius (Homil. XVII. in Evang.): *Dilectio in alterum tendit, ut charitas esse possit; Ergo nemo*, ut bene idem advertit, *proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur.* Adeoque nos ipsi non possumus esse secundarium objectum Charitatis.

§. 540. R. Ibi loquitur S. Gregorius de Charitate, quae est amicitia stricte sumpta, et quae cum necessario requirat ut sit reciproca, procul dubio non-

nisi inter duos haberi potest. Jam vero ad Charitatem proprie dictam, talem amicitiam non requiri, declarat ipse Dominus, dicens nos proximum sicut nosmetipsos diligere debere. Si namque Charitas erga proximum est vera virtus theologica, et haec mensurari debet ex charitate erga nos ipsos; profecto erga nos ipsos veram Charitatem habemus, quae virtus theologica est.

§. 541. *Contra:* Atqui nullimode veram Charitatem erga nos ipsos habere possumus; Ergo n. r. Prob. subsm. Nos anima et corpore constamus; Atqui neque anima, neque corpus possunt esse objectum Charitatis; non anima quia amor nostri, ex Apostolo, est inordinatus (Epist II. ad Timot. Cap. III.); et Christus apud Joannem (Cap. XII. v. 25.): *Qui amat animam suam, perdet eam*; non corpus, quia, *qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt;* Ergo etc.

§. 542. R. conc. maj., neg. min. cum consa. Amor nostri est utique inordinatus, at quando nos amamus nosmetipsos, non in Deo, et propter Deum, sed ob aliud motivum vile, et terrenum; quando vero nosmetipsos amamus in Deo, et propter Deum, tunc amor ordinatus est, et a Deo ipso praeceptus. Quod vero dicat Christus, *qui amat animam suam perdet eam;* intelligendum est de amore inordinato, et vitioso, non de amore ordinato, et propter Deum. Quod autem *qui sunt Christi carnem suam crucifixerint;* id non ex odio, sed potius amore sui ipsius factum est, ut nempe corpus in hac vita cruciatum, et spiritui subjectum, in aeterna vita simul cum anima glorificetur; et sicuti socii sumus Christi in tribulationibus in praesenti vita; socii ejus consolationibus simus in altera.

§. 543. *Objic.* 2. contra camdem. Charitas theologica est virtus, quae immediate versatur circa Deum; Ergo Charitas circa proximum non est virtus theologica.

§. 544. R. admisso ante; dist. cons. Charitas circa proximum propter proximum non est virtus theologica, conc.; Charitas circa proximum propter Deum non est virtus theologica, n. consm. Ut virtus aliqua sit theologica sufficit si Deum ut primarium objectum respiciat, et alia objecta secundaria propter Deum, aut aliquam ejus perfectionem attingat; cum ergo proximus non propter seipsum, sed propter Deum diligatur, proculdubio Charitas erga proximum virtus theologica est.

§. 545. *Contra.* Atqui virtute theologica non possumus proximum diligere; Ergo a capite argm. Prob. subsm. Nos charitate theologica diligere non possumus, quos Deus odit; Atqui Deus odit impios et peccatores; atque ex proximo nullus est qui dicere possit se peccatorem non esse; Ergo etc.

§. 546. R. dist maj. Nos etc. sub eo respectu quo Deus eos odit, conc., secus, n. maj., et dist. min. Atqui Deus odit, etc.; quatenus sunt peccatores, et impii, conc.; quatenus sunt creaturae suae, et beatituudinis capaces, n. min., et consm. Nos non diligimus homines ut peccatores, sed propter Deum, et in Deo.

PROPOSITIO II.

Objectum formale Charitatis est Dei absoluta bonitas, qua in se infinite bonus est in omni gere entis, et perfectionis.

§. 547. Prob. Objectum formale Charitatis non est aliud quam ratio sub qua Charitas suum objectum materiale respicit; Atqui Dei absoluta bonitas est ratio formalis, sub qua Charitas considerat objectum suum materiale, nempe Deum (§. 534.): Ergo etc. (1).

---

(1) Vid. Henno Tomo I. Disp. VI. de Charit. q. 2. Dupasquier Tomo V. Disp. X. q. 2.

CAPUT XII.

De praecepto Charitatis.

§. 548. *Animad.* Ad obtinendam salutem æternam Charitatis virtutem necessariam esse, necessitate medii; satis notum est. *Qui enim non diligit*; ait Joannes (Epist. I. Cap. III. v. 14.): *manet in morte*: Hinc Paulus ad Corinthios scribens, inquit (Epist. I. Cap. XIII. v. 1.): *Si linguis, hominum loquar, et Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quod hic examini subjicitur, est: an detur verum, et peculiare praeceptum diligendi Deum.

Auctorum placita.

§. 549. Fuerunt nonnulli, qui existimarunt, preceptum diligendi Deum sufficienter adimpleri per solam aliorum praeceptorum observantiam, abutentes illo Christi Domini apud Joannem (Cap. XIV. v. 21.): *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Putarunt alii, hominem nunquam teneri actum Charitatis elicere virtute praecepti ad illum obligantis. Unde ab Alexandro VII. Propositio sequens damnata fuit: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis, ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Quid nos, ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO I.

Datur verum, et peculiare præceptum diligendi Deum etiam actu interno.

§. 550. Prob. In Deuteronomio legitur (Cap. VI. v. 5.): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua;* Quod ipsum repetit Christus apud S. Matthæum (Cap. XXII. v. 37.); Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Vi praecepti Charitatis, Deus diligendus est super omnia: saltem appretiative.

§. 551. Prob. Christus Dominus apud S. Matthæum (Cap. X. v. 37.) ait: *Qui amat patrem; aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Quinimo apud S. Lucam (Cap. XIV. v. 26.), inquit: *Si quis venit ad me et non odit patrem suum, et matrem etc., non potest meus esse discipulus.*

Quæres. *Quid significet Deum diligere objective, quid appretiative, quid intensive?*

§. 552. R. Diligere Deum objective est velle plus boni Deo, quam aliis omnibus. Diligere Deum appretiative est pluris facere Deum quam quodlibet aliud ens; ita ut parati simus omnia bona hujus mundi, etiam propriam vitam amittere, et omni mala sustinere quam Deum offendere, ejusque amicitia privari. Tandem diligere Deum intensive est actu majori, seu intensiori conatu, Deum prae alio diligere.

PROPOSITIO III.

Ex præcepto positivo tenetur omnis adultus aliquando ad actus aliquos amoris Dei, seu Charitatis.

§. 553. Nam si praeceptum positivum (§. 546.) diligendi Deum non obligaret adultos ad aliquos actus explicitos dilectionis Dei, saltem aliquando, frustra datum fuisset. Atqui nihil frustra a Deo homini præceptum est, et quod a Deo praecipitur, adimplendum est, juxta illud (Deuteron Cap. XIII. v. 32.): *Quod præcipio tibi, hoc facito Domino;* Ergo etc.

Quæres. *Quando actus dilectionis Dei sit eliciendus?*

§. 554. R. Sæpius in vita; sed praecipue 1. circa usum rationis; Nam divina praecepta ad sui observantiam obligant statim ac quis ad usum rationis pervenerit; ergo tunc quoque praeceptum actus dilectionis Dei obligat. 2. in diebus Dominicis, aliisque Festis solemnioribus. Nam Festorum sanctificatio in hoc praecipue consistit ex Doctore Subtili, *ut homo apud se maneat, se recolligendo, et ascendendo in Deum*; in his ergo praecipue diebus actus dilectionis Dei elici debet: eo vel maxime, quod ideo Ecclesia sollemnitates celebrat, ut fideles ad Dei amorem excitentur. 3. Cum urgente gravi tentatione periculum adest, ne homo in odium Dei labatur, nisi per actum dilectionis convertatur; Nam cum odium Dei sit omnino prohibitum; tenetur homo media adhibere ad illud vitandum, inter quae praecipuum est actus dilectionis. 4. Cum quis justificari debeat; Nam cum Charitas sit necessaria necessitate medii ad salutem (§. 544.), profecto ejus actus in justificatione necessario est eliciendus. 5. tandem in morte. Nam cum lampade charitatis oleo plena debet anima fidelis obviam Christo exire, ne ut Virgo fatua ab eo repellatur.

Quæres. *Quis ordo sit in Charitate servandus?*

§. 545: R. Ordo in Charitate servandus est sequens. I. Diligendus est Deus propter seipsum; est namque summum bonum, et omne bonum, a quo bona cuncta procedunt. II. diligere debemus animam nostram, deinde animam proximi. Anima namque inter bona creata est majus bonum, quam aliquod aliud. Unde Christus Dominus ajebat (Matth. Cap. XVI. v. 24.): *Quid Prodest homini si Mundum universum lucretur animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Hinc III. Diligenda plus anima proximi, quam proprium corpus. Quare S. Augustinus (Lib. de Mendacio Cap. VI.): *Temporalem vitam suam*, ait, *pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere, unde tenetur quis baptizare infantem; et absolvere peccatorem, etiam cum periculo propriæ vitæ, si certo sciat non posse alia via salvari, et aliunde non immineat ipsi periculum damni proprii spiritualis.* IV. inter proximos ii magis diligendi sunt, qui magis nobis conjucti sunt conjuctione spirituali, carnali, et civili (1).

Quæres. *Per quid fiat satis praecepto Charitatis in proximum?*

§. 546. R. Volendo, et effective operando, quantum quisque potest, bonum proximi tam animi, quam corporis. Hinc si proximus est in necessitate spirituali debet Fidelis eum a malo, salutaribus monitis, et correptionibus retrahère, et fratrem suum lucrari, juxta illud Christi Domini (Lucae Cap. XVII. v. 3.): *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te, et ipsum solum.* Si proximus est in necessitate corporali, itaut substentatione indi-

(1) Vid. Boyvin Tomo IV. de Charit. q. VIII. et seq.

geat, debet eum eleemosinis, atque largitionibus, quantum vires suppetunt, ei providere; *Nam qui habuerit substantiam hujus Mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo* (1)? *quomodo Charitas Dei manet in eo?*

Quaeres. *Utrum ex hoc præcepto Charitatis teneamur diligere inimicos?*

§. 547. R. adfirm. Nam ait expresse Christus Dominus (Matth. Cap. V. v. 43.): *Audistis quia dictum est: diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum? Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros. Grave præceptum*, subjungit S. Augustinus: *Diligite inimicos, sed grande præmium; audisti opus, expecta mercedem.*

Quæres. *Quomodo inimici diligendi sint?*

§. 548. R. Debemus 1. eis dimittere offensa; alias dixit Christus Dominus (Matth. Cap. VI. v. 15.): *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester Cœlestis dimittet vobis peccata vestra* 2. Nihil odii adversus eos in corde servare; Nam ut ait S. Joannes (Epist. I. Cap. III. v. 15.). *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* 3. Non debemus illis malum pro malo reddere; imo eis benedicere, et benefacere juxta illud Christi Domini (Lucæ Cap. VI. v. 25.): *benedicite maledicentibus vos, et benefacite his, qui oderunt vos.* Hinc ut in Exodo habetur (Cap. XXIII. v. 4. 5.): *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum etc.* 4. debemus obsequia necessaria, eisque valde utilia inimicis exhibere; imo quandoque etiam non necessaria, si ea exhibendo speratur illo-

(1) Epist. I. Joan. Cap. III. v. 17. Quae de correctione fraterna, atque eleemosina hic addenda forent satis obvia sunt penes Auctores Morales.

rum conversio, et animae salus; vel non exhibendo adesset scandalum (1).

APPENDIX.

De Vitiis Virtutibus theologalibus oppositis.

Quaeres. *Quot sint vitia Fidei opposita?*

§. 549. R. Sunt quatuor; 1. nempe *infidelitas; 2: Hæresis; 3. Apostasia; et 4. Blasphemia.* Infidelitas est Fidei carentia in subjecto ad eam habendam idoneo. Eaque triplex est; 1. scilicet *negativa; 2: privativa*; et 3. *positiva.* Infidelitas *negativa* est Fidei carentia in eo cui Fides vel penitus est ignota, vel non sufficienter annuntiata ut credere possit, ac debeat. Infidelitas *privativa* est Fidei carentia in eo cui Fides est annuntiata ut credere possit, et debeat; ille tamen non credit; sed interim nec dissentit positive, nec alicui errori contra Fidem adhæret. Infidelitas tandem positiva est carentia Fidei in eo, qui non solum Fidei veritatibus non credit, sed etiam errores contra Fidem tenet, atque tuetur. Atque haec insuper triplex est; nempe *Paganismus*, *Judaismus*, et *Haeresis.*

§. 550. Paganismus est infidelitas, qua nec Christus profitetur; neque aliquando venturus expectatur: Ad Paganismum pertinent Athei, et Mahometani. Judaismus est infidelitas, qua negatur Christum Messiam jam advenisse; venturus tamen profitetur; et expectatur. Haeresis est infidelitas, qua conceditur, et creditur Christum jam advenisse, sed quidam Chri-

---

(1) De Virtutibus Theologicis fusius agunt Suarez integro Tomo in f. Franciscus De Oviedo Tomo inf. L'Herminier Tomo VI. Continuator Tournely Tomo I. Tract. in Praecept. Decal. Becanus II. P. Tomo Poster.

stianae Fidei articuli reprobantur, et aliqua falsae doctrinae dogmata profitentur.

Quæres. *Quid proprie sit Hæresis, prout est vitium Fidei oppositum?*

§. 551. R. *Hæresis est error fidei contrarius cum pertinacia voluntatis in eo, qui fidem Christianam profitetur.* Ut ergo quis Haereticus vere dicatur, tria requiruntur; 1. ut Fidem receperit, licet nondum sit baptizatus: 2. ut in tintellecu habeat judicium internum contra Fidem; et 3. error internus sit conjunctus cum pertinacia voluntatis.

Quaeres. *Quid sit Apostasia?*

§. 552. R. Apostasia proprie dicta est Fidei Christianæ susceptae deliberata rejectio.

Quæres. *Quid sit blasphemia?*

§. 553. R. Blasphemia est injuriosa in Deum, vel in Sanctos locutio.

Quæres. *Quot sint vitia Spei opposita?*

§. 554. R. duo; nempe 1. *Desperatio*, et 2.° *præsumptio*: Primum per defectum; secundum per excessum. Desperatio namque est erroneum intellectus judicium, quo quis falso judicat, beatitudinem esse acquisitu impossibilem, vel quia gratia deest, vel quia peccata sunt majora, quam ut venia possit illis tribui, talis fuit illa Cain (Gen. Cap. IV. v. 19.): *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Praesumptio est erroneum judicium intellectus, quo quis falso judicat se posse salvari sine gratia, vel ex gratia sola sine operibus, aut se facile veniam consecuturum, quantocumque gravia sint peccata.

Quæres. *Adsunt ne remedia contra vitia Spei opposita?*

§. 555. R. affirm: Et quidem contra desperationem remedia hæc sunt 1. cogitare Deum ita esse misericordem, et bonum ut neminem velit perire, etiamsi maximus peccator sit, et ipsius peccatorum numerus super numerum sit arenæ maris. 2. Exem-

pla non pauca hujus infinitae bonitatis, et clementiæ suæ Deum passim dedisse et in Manasse Rege Juda et in Israelitis, et in Latrone in cruce, et in Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca, Margharita de Cortona, aliisque innumeris, in quibus sicuti *abundavit delictum supcabundavit et gratia* (I. Tim: Cap: I. v. 14.) 3. Quapropter frequenter, humiliter, et cum fervore adire ad Tronum gratiae ut misericordiam, et gratiam inveniat in auxilio opportuno. 4. Prudentem, atque charitativum Confessarium sibi eligere, eique se totum committere; ab ejusque nutibus omnino pendere Animo sæpius tandem revolvere quod ait S. Ambrosius (Cap. II. Lucæ v. 1. 67.): « Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris » emendare delictum ».

§. 556. *Contra* præsumptionem vero, hæc sunt remedia. I. Considerare, quod non minus sit in Deo misericordia, quam sit justitia; et sicut cujus vult Deus, misericordia miseretur, ita quem non vult, justitia indurat. Quare valde timendum ne abutentes Dei misericordia, in manus justitiae Dei viventis incidamus. 2. serio reflectere, incertum admodum esse nostrae vitæ terminum ut nemo possit securus esse de crastino: Quare monuit Apostolus (Ad Gal: VI: v. 10.): *Dum tempus habemus operemur bonum.* Stultissimum namque est, importantissimum salutis æternæ negotium in tempore committere, quod in nostra non est potestate, eo neglecto quod in præsens, a Deo misericorditer donatur. 3. Reminisci sæpius quod si vel ipsi virtuosi, et Sancti, justo Dei judicio, de se præsumentes turpiter lapsi sunt, quanto magis, qui tales non sunt? Et sane, ajebat S. Augustinus (Lib: I. de gratia contra Pelag: 45.): « Nam si Petrus lapsus est, qui dixit: etsi alii scandalizati fuerint, ego » non scandalizabor; Quis alius de se præsumat. » 4. tandem mente revolvere, opus nostræ salutis Dei esse, qui dat velle, posse, et perficere pro bona vo-

lunte, non esse propterea in solis nostri arbitrii viribus vitam æternam nobis comparare: vocanti ergo Deo, prompte respondere debemus, ne renuentes, periculo exponamur, qui a Deo irrideamur, et subsannemur in nostro interitu, et perditione.

Quaeres. *Quot sint vitia, quae Charitati opponuntur?*

§. 557. R. sunt multa; nempe 1. *Odium* Dei, vel proximi; 2. *Acedia*, 3. *Invidia*; 4. *Discordia* 5. *Contentio*; 6. *Rixa*; 7. *Duellum* 8. *Seditio*; 9: *Scandalum* 10. *Schisma*; 11. *Bellum*. Odium Dei, vel proximi duplex est; *abominationis*, *et inimicitiæ*.

§. 558. Odium abominationis est actus voluntatis detestantis, Deum vel proximum, tamquam malum proprium vel amati. Odium vero inimicitiae est actus voluntatis Deum vel proximum aversantis; optantisve malum, ut ei male sit.

§. 559. Acedia est quædam tristitia voluntatis in operibus dilectionis negligentiam afferens. Opponitur ergo Acedia Charitati, quia sicuti Charitatis proprium est gaudium afferre in exercitio actionum, quæ amorem Dei, vel proximi concernunt, ita Acediae proprium est in actibus tristitiam afferre.

§. 560. Invidia est inordinata tristitia de bono proximi tamquam malo proprio, excellentiæque propriae diminutivo.

§. 561. Discordia est dissentio voluntatum, aut judiciorum. Contentio, est dissentio verborum. Rixa est privatum quoddam bellum inter personas, ex odio resultans. Duellum est duorum, paucorumque pugna ex condicto. Seditio est quaedam inter Cives dissentio, qua publica quies et ordo perturbantur. Schisma est voluntaria discessio, qua quis se subtrahit ab unione Ecclesiae. Scandalum theologice acceptum, est spirituale offendiculum, quo quis in peccatum ruit, atque Deum offendit. Duplex autem distinguitur; *activum nempe*, *et passivum*: Primum est

dictum, vel factum minus rectum præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis. Secundum est proximi ruina spiritualis orta ex dicto, vel facto alterius. Bellum tandem est publica assumptio armorum, Reipublicae tuendae, hostisve offendendis caussa. Atque haec dicta sufficiant (1).

FINIS TOMI V.

---

(1) Qui plura cupit consulat Suarez de Fide Spe, et Charitate.

TOMI V. INDEX.

TRACTATUS I.

TRACTATUS II.

ERRATA CORRECTA

Pag: 7. *post v.* 7. *adde*, quia ad laudes Deo concinendas destinatus erat, aut moraliter malum, *Pag.* 9. *v.* 20. bomi. *lege*, boni. *Pag.* 12. *v.* 32. ali, *lege*, alia. *Pag*: 13. *v.* 4. *in Nota.* solum solum, *dele alterum* solum. *Pag.* 18. *v.* 20. *extinseca*, lege, *extrinseca*. *Pag*: 19. *v.* 14. *habet*, lege, *habent*. *Ibid. v.* 24. adhi-tis; *lege*; adhibitis. *Pag*: 22. *v.* 35. rispectu, *lege*, respectu *Pag*: 26. *v.* 12. Quocumpue, *lege*, Quocumque. *Pag.* 26. *v.* 4. *relaxatio* eaque, lege, *relaxatio*; eaque. *Ibid. v.* 23. aliis., *lege*, in aliis. *Pag.* 35. *v.* 29. accidendi, *lege*, occidenti. *Pag.* 36. *v.* 20. praeclarisslmi, *lege*, praeclarissimi. *Ibid.* v. 30. titima, *lege*, gitima. *Pag.* 39. *v.* 21. indispensabiliter, *lege*, indispensabilia. Idem *Pag.* 40. *v.* 2. *Ibid. v.* 8. *ignorantia invisibilis*, lege, *ignorantia invincibilis*. *Pag.* 41. *v.* 15. ignoratiim, *lege*, ignorantiam *Ibid. v.* 27. sit compos, *lege*, sit sui compos. *Pag.* 42. *v.* 4. *ratia*, lege, *ralia*. *Ibid*: v. 19. graeceptis, *lege*, praeceptis; Ergo etc. *Pag.* 43. *v.* 11. nostrae, *lege*, nostris. *Ibid*: *v.* 20. homnibus, *lege*, hominibus. *Pag.* 48. *v.* 14. eum, *lege*, illud. *Pag.* 49. *v.* 34. *cumtios*, lege, *cunctos*. *Pag.* 61. *v.* 2. Iololatrarum, *lege*, Idololatrarum. *Pag*: 63. *v.* 3. papulo, *lege*, populo. *Ibid*: *v.* 18. *annunciatem*, lege, *annuntiarem*. *Ibid*: *v.* 33. antec:, *lege*, antec:; secus. n. *Ibid. v. ult.* Deus, est Angeli, *lege*, Deus est Angeli. *Pag.* 64. v. 11. habobetur *lege*, habetur Pag: 65. v. 28. sequerentur, *lege*, sequeretur, *Pag.* 67. *v.* 6. condiditionis, *lege*, conditionis; *ita etiam v.* 10. *et v.* 15. *Ibid*: *v.* 18. Israaelitis, *lege*, Israelitis. *Pag.* 75. *v.* 19. praesentat, *lege*, praestant. *Pag.* 78. v. 12. *Maechaberis*, lege *Moechaberis*. *Pag.* 87. *v.* 20. XXII., *lege*, XXII. in Evang:), venit in. *Pag.* 100. *v.* 14. *juxta*, lege, justa. *Pag.* 104. *v.* 27. se et, ipso, *lege*, se, et ipso. *Pag.* 106. *v.* 12. spectant, *lege*, spectant. *Pag.* 107. *v.* 10. levitur, *lege*, leviter. *Pag.* 109. *statuo*, lege, statuto *Pag.* 115. *v.* 2. hebent, *lege*, habent, Pag. 116. v. 18. *tio* lege, *titis*. *Pag.* 220 *v.* 2. Qninimo, *lege*, Quinimo. *Pag.* 123. *v.* 32. *alevans*, *lege*, *elevans*. *Pag.* 124. *v.* 26. *Deo C.*, lege, *Deo* (Heb: XI. v. 6.) *Pag*: 130. *v.* 5. praemisis, *lege*, praemissis. Ita etiam v. seq: *Pag.* 139. *v.* 7. variae, *lege*, varia snnt. *Pag*: 142. v. 15. aqua abluit, *lege*, aqua abluitur. *Pag.* 147. *v.* 31. misericorda, *lege*, misericordia. *Pag*: 150. *v.* 2. ut homo, *lege*, ut hominem. *Ita etiam* v. 7. *Pag*: 151. *v.* 19. Atque, *lege*, Atqui. *Pag.*

133. v. 33. debet est, *lege*, debe t esse. *Pag.* 161. *v.* 1. Atque, *lege* atqui. *Ibid.*: v. 3. atqui, *lege*, atque. *Pag*: 166. v. 3. (Epist: XIII. v. 12.) ait: *Videamus*, *lege* (Epist: I. Cap: XIII. v. 12.) ait: *Videmus*. *Pag*: 168. *v.* 32. *inuitur*, lege, *innititur*. *Idem Pag*: 174. v. 12. *Pag.*, 175. v. 8. eiam, *lege* etiam. *Pag*: 176. v. *ult*; annuntiando, *lege* annuntianti. *Pag*: 179. *v.* 25. usuque, *lege* usumque. *Pag.* 183. *v.* 25. necessarius, est, *lege*, necessarius est *Pag*: 188. *v.* 32. §. 459. R. III. *lege*, §. 459. III. *Pag*: 189. *v.* 23. neque, *lege*, neque ex. *Pag*: 212. *v.* 7. *quin*, lege, *qui*. *Pag.* 216. v. 13. *particepes*, lege, *participes*. *Pag*: 228. *v.* 9. tintellecu, *lege*, intellectu. *Pag.* 229. *v.* 6. *snpeabundavit*, lege, *superabundavit*. *Ibid*: v. 12. pendere Animo, *lege*, pendere. Animo *Pag*: 231. *v.* 5. offendendis, *lege*, offendentis.